

40.1888.

DE

# PHLEBECTASI CREREM ADUMBRATIO SUCCINCTA.

SCRIPSIT



*Carolus de Mayer.*

ESTLIS. 11  
—

DE

# PHLEBECTASI CRURUM

ADUMBRATIO SUCCINCTA.



## DISSERTATIG INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARUM CÆSAREA

DORPATENSI

AD GRADUM

## DOCTORIS MEDICINE

RITE ADIPISCENDUM

LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUTOR

**Carolus de Mayer,**

Petropolitanus.

---

DORPATI LIVONORUM.

TYPIS VIDUAE J. C. SCHÜNMANNI ET C. MATTIESENI.

MDCCLIV.

PATRI OPTIMO

Imprimatur

haec dissertatio ea conditione, ut, simulac typis fuerit excusa,  
numerus exemplorum lege praescriptus tradatur collegio ad libros  
explorandos constituto.

Dorpati Livon. die 1. mens. Maji a. 1854.

*Dr. Bidder,*  
ord. med. h. t. Decanus.

AUCTOR.

Patri optimo, penitus dilecto, filius.

*Quidquid in me sit, secundum Deum optimum maximum tuo maxime amori me acceptum referre, grato animo memini. Tu enim amore, quo teneor, rerum naturae primus me imbuisti. tu me et in festuca minima et in summis firmamenti coeli miraculis eundem Deum omnipotentem ac sapientissimum agnosci docuisti, ad cuius, caritatis pleni, venerationem amoremque tu inde a tenerima aetate me adduxeras.*

*Cholera sex fere abhinc annis epidemice saeviens, ut artis medicae studium colendum deligerem, me permorit, quippe qui summa ducerer cupiditate, hominem, quem jure perfectissimum genitoris opus existimamus, bene perverstigandi atque cognoscendi elementaque illa infesta perquirere vellem, quae, statum normalem turbando, hominem lecto affigerent, remediaque, quae nobis adhuc in promptu essent ad vires istas noxias propulsandas hominique sanitatem restituendam, discere cuperem. Quam disciplinarum naturalium partem quo aciore persecu-*

*tus sum studio, eo plus mihi allatum est volu-  
ptatis atque oblectationis. — Nunc autem, quum,  
cursu academico absoluto, veram medici digni-  
tatem probe perspicerim, simulacrum quoddam  
speciesque, quam ut assequar, omnibus viribus  
contendam, animo meo obversatur, ut aliquando,  
qualem te videam medicum, talis et ipse eva-  
dam. — Ut vero tu olim primum, quod exara-  
veras, opus majus patri tuo, qui eadem, qua tu  
mihi, ratione exemplo tibi erat, sacrum esse  
voluisti; item maximam mihi praebet laetitiam,  
quod hac in re imitari te licet. Itaque ut has  
studiorum meorum primitias velut exile animi  
grati ac pietatis, qua erga te ducor, signum be-  
nigno animo accipias, te quam maxime roga-  
tum volo.*

---

— — — — —

### **Praefatio.**

---

Casu quodam phlebectasis maximi momenti,  
quem mihi ultimo, quo studiis in hac universitate  
operam dabam, anno curandi oblata est occasio,  
adductus eram, ut phlebectasim, quae latiore  
vocabuli sensu dicitur, in dissertatione inaugu-  
rali pertractare in animum inducerem. Sed tem-  
porum conditio me commovit, ne phlebectasim,  
latiore sensu dictam, ad quam quidem illustran-  
dam jam pridem multum operae contuleram mul-  
taque jam praeparata habebam, uberiore opu-  
sculo exponendam mihi sumerem. Quo factum  
est, ut pagellae hae non contineant, nisi partem  
materiae illius, quae pars est de extremitatum  
inferiorum varicibus.

His praemissis, superest, ut praceptoribus  
summe venerandis professoribus doctissimis  
**G. Adelmann** et **G. Samson de Himmelstiern**  
eximiae, qua erga me, dum in hac litte-  
rarum universitate ad artis medicae studia in-

cumbebam, semper usi sunt, benignitatis prae-  
cipueque viro illustrissimo, quem primum nomi-  
navi, egregiae humanitatis, qua in conscribenda  
hac commentatione et re et consilio mihi adfuit,  
intimo animo publice nunc gratias persolvam  
quam plurimas.

### Definitio.

Nomine varicis, quod quidem vocabulum saepe eodem, quo phlebectasis, significatu adhiberi solet, lumen vasis alicujus venosi, cuius parietes mutationes pathologicas subierint, praeter normam dilatatum dicitur. Verumtamen varix eodem modo a phlebectasi differt, quo aneurysma ab angiectasi discernimus (*Ravoth et Vocke*). Quae comparatio, uti nostra fert opinio, judicanda est aptissima. Etenim plerique auctores, uti venae dilatationi locali sacci ad instar formatae (ad analogiam arteriae similiter dilatatae, quae aneurysma appellatur) varicis nomen imposuerunt, quae quidem dilatatio in venae, latitudine aut absolute aut relative normali instructae decursu adsit, ita phlebectasi, quam primus *Alibert*<sup>1)</sup> eodem, quo varicem, sensu dixit, venam vel per longius spatium vel toto decursu suo aquabiliter dilatatam atque in longius productam denotant.

1) cf. *Bernstein med. chir. Bibliothek* 1829. pag. 528.

### S y n o n y m a.

Varicis vocabulum a verbo *vari* est derivatum, quo vasis ejusmodi decursum inaequabilem ac flexuosum, qui symptoma maxime conspicuum offert, nec non quamvis prominentiam aut procursum, in cute humana obvium, designare consueverant.

Qui morbus graece *κιρσός* dicebatur, quod vocabulum a *κιρσίω*, herba quadam<sup>2</sup>, quae ad dolores varicibus effectos leniendos valebat, est deductum. Latinis eadem morbi forma et phlebectasis, phlebeurysma, cirsus appellabatur.

Nomina, huic morbi formae nuncupandae nonnullis linguis recentioribus usitata, haec sunt:

Lingua germanica: Aderkrampf, Aderbruch, Venenbruch, Blutadergeschwulst, Blutaderknoten, Kindsader, Aderfropf, Krampfadler, Wehader.

Lingua francogallica: Varice, veine dilatée.

Lingua russica: венная опухоль, разжиленье, расширение вены, варикозная опухоль.

Lingua Italica: Varice, Vena gonfia.

Lingua Polonica: rozdęcie żyły.

Lingua Anglica: A crooked swelling vein.

Lingua Lettica: assins-tuhklis.

Lingua Esthonica: werre-paise.

### S y m p t o m a t a.

Venae varice oriente, ab initio funiculum reperimus ex cutis circumjectae superficie paululum prominentem, qui

2) Dioscoridis de materia medica lib. 4, c. 104.

funiculus, venae decursum sequens, cute, colorem normali prae se ferente, obtectus est. — Quo gradu si morbus est positus, eo nullae omnino afferuntur molestiae.

At phlebectasis evolutione amplius progressa, vas illud longius factum decursum flexuosum incipit. — Quae flexurae primum nonnullas tantummodo a venae decursu normali declinationes, lineasque leviter curvatas praebent, magis minusve in planicie sitas. — Sensim demum ac paulatim, vase magis magisque amplificato, curvaturae majores existunt ad spirarum similitudinem accidentes, quo facto denique tota linea spiralis hic illic reflectitur, vase reclinato per aliquod spatium recurrente indeque celerrime sese convertere eaque in re planities, per quas decurrit, mutante.

Quem evolutionis gradum si morbus attigerit, plerumque in funiculo, qui antea satis aequaliter cylindraceum se praestabat, hic illic prominentiae nodosae apparent, quae vel saccis valvularum respondent, vel, id quod in vasis alicujus dilatatione tam generali rarius accidit, a parietis venae dilatatione locali majoreque dependent. Venae magnitudo ejusque supra cutem circumiacentem elatio magis magisque adaugetur, qua in re etiam cutis obtegentis color magis saturatus cernitur.

In venarum tali modo dilatatarum, digitorum crassitatem aequantum, decursu interdum vasorum glomi inveniuntur, qui, cum venis cingentibus arte cohaerentes, saepe lumborum inter se implexorum speciem praebent. Venae varicosae formam quod attinet, ea in universum perquam est varia. Raro venae dilatatio aquabiliis observatur, qualis quidem plerumque non invenitur, nisi in primis evolutionis

gradibus. In venis profundius positis, quae tamen omnino aliquanto rarius varicosae cernuntur, quippe quae musculo-rum fasciarumque pressu atque arteriarum ipsas comitantium pulsu aequabili tutae praestentur, quum nullis instructae sint valvulis, dilatatio aequabilis multo est frequentius observata. Etenim valvulae plerumque in causa sunt, cur, malo progre-diente, vena jam in universum dilatata quibusdam locis magis sinuetur.

**Bonnet** venas epigastricas ext. adeo tumefactas vidit, ut prope ad duorum anguum similitudinem accederent. Tumores inter venas sic universe dilatatas vel cum eis re-perti saepe formam induunt omnino peculiarem. Locus, quo ejusmodi varix sedem fixerit, crebro in eo dignoscendo plurimum valet. Sic, ut exemplo utar, vena saphena magna eo loco, quo venae crurali inseritur, interdum, quum infra-eum locum aequabiliter dilatata sit, tumorem magnitudine ovi praeditum efficit. Quem tumorem se maxime in feminis gravidis animadvertisse, **Vidal** narrat. Nonnunquam fit, ut varix basi insidere videatur, quae quidem forma semper tum exsistit, quum dilatatio venae localis paulo insignior eo loco, quo in venam inferius sitam inseritur, est posita et apertura, qua utraque inter se communicat, fasciis rigidioribus vel adeo partibus osseis est circumdata.

**Marcus Aurelius Severin** et **Boyer**<sup>3)</sup> in hypogastric tumorem varicosum observarunt, qui, uti ipsi testantur, capitis medusae speciem referebat. **Vidal**<sup>4)</sup> et ipse glomus

varicosum vidit, cujus membranae adeo essent extenuatae venae magnitudine propter venam cavam inferiorem obliteratam tantopere adaucta, ut tantum, summa animi attentione adhibita, diagnosim statuere licet. Namque glomeris spe-cies talis erat, quae potius de intestino per herniae portam in abdomen prolapso, quam de venae subcutaneae varico-sitate suspicionem moveret.

Varices, quo quidem nomine plerumque venae sinuati-nes majores eaeque locales appellari solent, modo limitibus certis distinctisque sunt circumscripsi, modo, idque praesertim quum plures alter juxta alterum collocati adsunt, in tumores, forma diversissima excellentes, confunduntur. Interdum evenit, ut eum in modum inter se cohaereant, ut uvarum figuram praebeant, dum venarum minorum tenera-rumque varices haud raro tumores sunt rubis similes. Ma-gnitudo, ad quam singuli varices accrescere queunt, admodum est diversa, quippe quae plerumque inter magnitudinem pisi et nucis juglandis varietur. Ceterum non desunt casus, in quibus ad miram augeantur magnitudinem. Sic, ut exemplum afferam, **Vidal** casum quandam memoriae prodi-dit, in quo tumor varicosus ejusdem, ac pugnus est, magnitudinis ad internum genus dextri angulum situs fuerit, esse-ctus ille quidem sola vena saphena, quae tamen hoc loco, omnibus dimensionibus aucta, sacci permagni speciem offerret.

**Lieutaud**<sup>5)</sup> casus cuiusdam mentionem injicit, in quo tumor ad capitis infantilis magnitudinem accesserit duasque fere sanguinis libras continuerit.

Cutis, qua glomera in funicularum modum dilatata eis-

3) Traité des malad. chirurg. Paris 1845. Vol. II, pag. 452 (ed. Ph. Boyer).

4) **Vidal** (de Cassis). Traité de path. ext. et de med. opératoire. Ed. 3. Paris 1851. T. II, pag. 39.

5) Précis de la méd. pratique. T. II, pag. 269.

que effecta obtegitur, demum in posteriore mali decursu colore suo a norma abhorret. Qui color nunc lucidior, nunc potius intense ruber, subflavus, subcaeruleus, ad postremum etiam lividus appetet. Talis plerumque in varicum strictiore vocabuli sensu dictorum glomerumque varicosorum cacuminibus deprehenditur. Quam colorum varietatem sunt qui partim venae per cutem obtegentem, ex parte atrophicam, perlucenti, partim, praeeunte *Vidal*, huic causae adscribant, quod vasa capillaria supra vasa varicosa collocata premantur, eaque pressione, sanguis ut ibi stagnet, efficiatur. Quae eadem res nobis explicationem afferat, quo modo fiat, ut glomera varicosa, etiam tum, quum admodum sint subcutanea, plerumque annulo quodam subcaeruleo cincta cernantur.

Morbus prout diverso evolutionis gradu est positus, venae status etiam contrectanti diversum se exhibit. In mali initii decursuque posteriore, quandoquidem nec causis internis nec externis massae, quae continentur, coagulatae sunt, tum funiculi tum glomera contrectanti molliora apparent, dum raro, praesertim in venae spermaticae internae dilatatione varicosa, phlebolithi duriusculi, plerumque granis arenae magnitudine pares, persentiantur. Pressio eo stadio ad venam inter vasis dilatationes et cor exhibita extemplo efficit, ut illi funiculi tumoresve magis intumescant, utpote qui duriusculi ac valde expansi et cute magis intensa obiecti appearant. Pressu ad finem periphericum exhibito, brevi collabuntur, pressu finito tamen, statim priorem tum formam tum magnitudinem recuperantes. Sin autem, malo amplius evoluto, massae, quae vena varicosa continentur, coagulatae fuerint, tum funiculi pro diversis coagulandi gradibus magis minusve duri ac nodosi contrectantibus appa-

rent nec pressio aut supra eos aut infra exhibita ullam formae illorum mutationem provocat.

In tumore, adhuc molliore, qui etiamnum comprimit queat, percutiendo, auctore *Bonnet*, undulatio sanguinis ad vasa capillaria et cor versus animadvertisit. *Vidal*<sup>6)</sup> simile quiddam observavit. Etenim in varicibus hominis phthisi laborantis, quotiescumque tussiebat, pulsatio quaedam exsistere videbatur, cuius quidem causa sanguine ad temporis momentum in vase retrorsum se movente nitebatur. Praeter quae symptomata objectiva in venis varicosis interdum fit, ut pulsatio cordis atque arteriarum ictibus isochronica animadvertisatur.

*Melchiori*<sup>7)</sup>, ut exemplum proferamus, talem commemorat casum, in quo praeter pulsationem etiam manifesto tumor nunc elevatus, nunc collapsus cerni potuerit simulque strepitus follis sono consimilis in eo auditus sit. Verumtamen in adjuncta de sectione instituta narratione nulla inferatur mentio de venae varicosae pulsantisque cum aliqua arteria conjunctione.

Quod phaenomenon, dubitare non possumus, quin maximi momenti videatur; qua de causa, quemadmodum infra videbimus, theoria quaedam de varicum origine proposita in illo veluti fundamento suo innititur. — Ceterum casus ii, in quibus ejusmodi pulsatio observata fuerit, in universum sunt rariores, in multisque illud symptoma non dependet, nisi ab arteria venae supposita. Attamen tali in casu pulsatio segnior esse dicitur, omni quoque strepitu stridoreque deficiente<sup>8)</sup>.

6) *Vidal*. 1. c. II, pag. 41.

7) *Oestreichsche med. Wochenschrift* 1843. Nr. 33.

8) *Hennemann*. Differ. med. Diagn. pag. 29.

Neque omittendum est, istud phaenomenon satis esse cognitum, idque saepius in venis sanis, quam in varicosis, observatum. Sic *Charcelay*<sup>9)</sup> casum quendam refert, in quo omnes venae superficiales extremitatis inferioris superiorisque pulsaverint. Dr. *Rush* Philadelphiae puer curandus fuit mandatus, in quo, quamdiu morbo graviore affectus macilensusque erat, brachiorum venae pulsarent, macteque finita, hoc symptoma desineret. — *King*<sup>10)</sup> idem phaenomenon in se ipso observabat. Namque, si largiore prandio usus situm obtinebat horizontalem, venae ejus frontales conspicuum in modum pulsare incipiebant.

Symptomata, quae dicuntur, subjectiva eo continentur, quod partium affectarum nervi sensitivi actionem commutatam eamque aductam praebent. Alias tantummodo sensus gravitatis, tensionisque, pruritus vel dolor urens aegrotum, praesertim in meando standoque, vexat eique incommodat, alias dolores magis minusve vehementes acresque ingruunt, qui maxime funiculos glomosque contractanti duriusculos se praebentes comitari solent. Extremitatis affectac positio horizontalis quietaque nonnihil levaminis adserit. Dilatatio venae localis (varix sensu strictiore) saepe, quamvis magnitudine excellat, nihil doloris ciet. *Brunns*<sup>11)</sup> casum quendam narrat, in quo varix verus cirsoideus tota tempora frontemque ac regionem verticis obtinuerit, ne minimo quidem dolore excitato.

Quod jam per se potuit exspectari, idem et usus atque

experientia docet, partium vicinarum commutationibus pathologicis insignioribus etiam venarum varicosarum speciem permutari. Quae venae, ut exemplo utar, totae sub tumore albo, qui nobis in phlegmasia alba dolente offertur, latent.

Ulteriore morbi decursu saepe partium circumjectarum tela haud exiguae subit mutationes. Oedema fere constantem hujus mali comitem esse quotidiana nos edocet experientia; id quod, quemadmodum et per se haud difficulter intelligitur et Magendie suis de venarum deligatione experimentis monstravit, tum a libera sanguinis circulatione turbata, tum ab aquae animalis in telam effusae resorptione impedita, ideoque a circulatione intermedia in hac parte turbata dependet.

Saepe accidit, ut majores etiam mutationes, ad partes varicibus vicinas pertinentes, exsistant. Quae plerumque in posteriore mali decursu infiltratae, saepius inflammatione correptae atque exulceratae reperiuntur, tum ulceribus, quae vocantur, varicosis formati, quae quidem tam intimo cum venarum varicositate continentur connexu, ut, nisi illa sublata, neutiquam sanari queant. Quae ulcera varicosa haec maxime signa sibi peculiaria vindicant. Fundus ulcerum planus colore ex fusco flavescente aut subcaeruleo est imbutus, magis siccus, quam humidus, plerumque rotundus, saepeque punctis cruentis obsitus. Margo stricte praecisus postea saepenumero callosus cernitur. Secretio serosa colore sordido tincta crebro striis sanguinis fuscioribus intermixta est. Regio ulcera varicosa cingens varicibus intumescentiisque lymphaticis excellit, quo fit ut tota extremitas affecta nodosa, colorisque fusci vel subcaerulei appa-

9) Journ. hebdom. 1836. Nr. 31.

10) Lond. med. Gaz. Juli 1836.

11) Handbuch der practischen Chirurgie Tübingen 1853. Pars. spec. 1. pars, pag. 192. Necnon ejusdem Atlas 1. Abth., tab. 3, fig. 121.

reat<sup>12)</sup>. Nonnunquam ulceris margo venis dilatatis penetratur; quae venae adeo per medium totius ulceris partem tendunt<sup>13)</sup>.

Quae quum ita sint, varicum symptomata tam peculia-  
ria esse videmus, ut fieri non possit, ut hasce morbosas  
venarum commutationes, si quidem jam altiore evolutionis  
gradum assecutae sint, non agnoscas. Ceterum propter  
varicum sedem quum saepe difficultates offerantur diagnosi,  
praesertim in primis evolutionis stadiis, etiam summae eru-  
ditionis celebritatisque viri, inter quos satis habeo cl. *Cru-  
veilhier* nominavisse, in diagnosis errores committi posse  
haud diffitentur<sup>14)</sup>.

Aliquanto obscuriora autem magisque ambigua varico-  
sitatum organorum internorum partiumve profundius sitarum  
symptomata apparent. Ibi enim persaepe solae functionum  
turbae, ejusmodi commutationibus effectae, nobis suspicio-  
nem movent, fortasse tales exstare mutationes. Frequenter  
tamen cadaverum sectiones demum talem permutationem  
adesse nos certiores faciunt.

### Anatomia pathologica.

Hoc loco talia maxime respicienda videntur:

- 1) Vasis varicosi ipsius status,
- 2) Eorum, quae vas continent, status,
- 3) Partium circumjectarum status,

12) Chir. diagn. *Lessing*. 1845. Bd. 1, pag. 250.

13) Tales sunt casus, a *Majo* et *Carolo Bell* observati. Cf. *Froriep's Notizen*. Vol. 41, pag. 331 u. 334.

14) Cf. *Froriep's Notizen*. Vol. 19, pag. 350.

Secundum formam clarissimus *Rokitansky*<sup>15)</sup> duos dis-  
tinguit vasorum varicosorum ordines primarios, quorum  
prior ea comprehendat, in quibus venae dilatatio aequabilis,  
cylindracea, ejusque decursus normalis sit. Qua in re venae  
parietes aut tenuiores sunt aut crassitudine non ita insigni,  
vasis magnitudini respondente praediti aut denique, id quod  
plerumque solet observari, hypertrophia correpti.

Ad ordinem primarium alterum, auctore *Rokitansky*,  
vasa pertinent inaequabiliter, aut singulis locis aut multis  
dilatata, qua in re tamen haec singulorum locorum dilatatio  
universam totius venae dilatationem praecellit. — Quae for-  
ma, judice *Rokitansky*, dilatatio est varicosa proprie sic  
dicta. — In vasis quoque ad hunc ordinem pertinentibus  
tunicae modo attenuatae, modo aut relative aut absolute  
incrassatae sunt. Hunc alterum ordinem primarium in duas  
classes *Rokitansky* dividit, quarum prior eas complectatur  
venas, quae et dilatentur et simul longiores exstant de-  
cursumque flexuosum ineant. Ea in re facile accidit, ut  
vena non nisi ab una parte sinuetur, pariete altero, qui pa-  
rieti expanso varicis oppositus est, aut astricto aut plicato.  
Classis altera varices proprie sic dictos continet, ubi loco  
quodam circumscripto vena unam partem versus magis si-  
nuetur. Quo casu aut parietes ex cunctis membranis con-  
sistunt, aut fibra interna circulari hic illic disrupta in lacunis  
sic effectis interna vasis tunica cum exteriore concrevit, ita  
ut, si hoc loco major exstitit sinuatio, varix herniosus fiat.  
Varix hic illic inaequabiliter dilatatus tum formam irregu-

15) Handb. der Pathol. Anatomie, Wien 1844. T. II, pag. 659.

larem extrinsecus lobulatam accipere potest, intrinsecus structura cellulosa atque fibrosa praeditus.

Ceterum *Andral*<sup>16)</sup> hanc lobulatam atque cellulosam varicis formam alio modo explicandam censet. Qui vir doctus sex vasorum varicosorum genera inter se discernit, in tribus prioribus internoscendis ratione diversa, quae parietis venae crassitudini cum venae magnitudine intercedit, pro principio ac fundamento usus. In genere quarto venas hic illuc dilatatas refert parietibus et ipsis hic illuc incrassatis instructas. In genere quinto venae varicosae cavum parietibus intergerinis in sacculos divisum esse ait, in quibus sanguis accumulatus coaguletur. Diligentiore pervestigatione instituta nos cognoscere dicit, parietes in lumen prominentes efformatos esse. Quos parietes intergerinos in genere sexto perforatos esse docet, ita ut vena multis iisque parvulis foraminibus cum tela cellulosa vicina, et ipsa morbo affecta, conjuncta sit.

Verumtamen duo, quae ultima nominavimus, genera, quemadmodum disquisitiones aetate recentiore institutae coarguerunt, nullo modo pro generibus propriis ac peculiaribus sunt habenda, sed tantum eodem processu pathologico, amplius evoluto, nituntur.

*Bock*<sup>17)</sup>, auctore *Virchow*, quinque vasorum dilatatorum genera distinguit. Venarum autem solarum dilatationes, praesertim si tela cellulosa affectionis particeps non sit, talem in modum discernit.

16) *Grundriss der pathol. Anatomie. Uebersetzt von Becker.* Leipzig 1830. Vol. II, pag. 239.

17) *Lehrbuch der pathol. Anatomie.* Leipzig 1852, pag. 455.

1) Ectasim simplicem, in qua vas universum aequaliter sit dilatum, parietibus hypertrophia affectis venaque et latiore et longiore facta. Haec secundum virorum doctorum sententiam in hyperaemia atque graviditate observatur, quibus venarum dilatatio tanta possit exsistere, ut eae sub loco placentari fere cavernosam telam praebant.

2) Ectasim varicosam, ubi venae dilatatio inaequalis sit pariesque loco dilatato extenuatus appareat. Quae ectasis species, veluti varicis initia, ibi reperitur, ubi singuli rami, a principio dilatatione universalis modica affecti, postea sinibus numerosis lateralibus, qui speciem illam nodosam efficiant, instruantur.

Cum hoc genere plerumque telae circumiacentis atrophia conjuncta est.

3) Ectasim ampullaceam, quae in eo consistat, ut vas ceteroquin non commutatum ex parte certo in loco dilatetur, quo varix localis solitarius efficiatur.

*Alibert*<sup>18)</sup>, qui primus nomen phlebectasis pro altero varicis vocabulo adhibuit, simpliciter phlebectasim primariam et phlebectasim ulceratam inter se distinguit.

*Cruveilhier*<sup>19)</sup> varices talem in modum dividit:

1) In *varices serpentines* dilatationem simplicem atque aequabilem ostendentes,

2) in *varices à cellules ou ampullaires* quae rursus aut peripherici (*circumferentielles*) sint, si quidem

18) *Nosologie naturelle des maladies du corps humain, distribuées par familles.* Par *J. D. Alibert.* Paris 1817. T. I, pag. 329.

19) *Anat. pathol. du corps humain par Cruveilhier.* Paris 1835—42. T. II, *Malad. des veins.* Pag. 1—2, 35 fasc.

totum vasis ambitum obtineant, aut *laterales*, si non nisi in uno ejus loco appareant.

Varietatem quandam hujus secundi generis *varice à compartimentis ou multiloculaire* appellavit, in qua quidem ampulla varicosa parietibus integerinis in complures dividatur loculos minores.

*Varices serpentes* venarum parietes incrassatos habent, ampullacei extenuatos, ita ut difficillimum sit, singularum membranarum crassitatem internoscere.

*Varices à comparatim* dicti parietibus incrassatis non sunt instructi, nisi iis in locis, quibus parietes integerini, loculis parvis inter se dirimendis inservientes, inseruntur.

Omnis has formas, in uno eodemque homine observatas, *Cruveilhier* uberioris descriptis atque delineavit<sup>20)</sup>.

*Triquet*<sup>21)</sup> etiam venam varicosam sinuosam statuit, in qua paries a duabus partibus ita sit attenuatus, ut duas striae longitudinales perlungentes efformentur. Quae striae sinuationes per longitudinem offerunt venaeque speciem intestini crassi praebent, cui tanto similiores apparent, quod sinuationes in loca, quibus valvulae inseruntur, procurrunt.

Incrassatio multo rarius in tunica intima, quam in media, occurrit, cujus fibrae longitudinales tum aliquanto magis in conspectum veniunt, quam statu normali<sup>22)</sup>. Venae paries solidus durusque, colore griseo tinctus appetet venaque ipsa non collabitur. Media vasis tunica interdum rubro colore, carnium colori simili, plerumque tamen griseo est

imbuta. Hanc hypertrophiae sedem esse manifesto cernitur.

Incrassatio ab ea, quae phlebitide efficiatur, incrassatione longe differre dicitur. Ut enim in phlebitide incrassatio sanguine ipso videtur provocata esse, qui parietes incrassavit lumenque coarctavit, ita in varicibus hypertrophia adest excentrica. Qua in re tunica media, quae interdum emollita fragilisque appetet, hic illic attenuata, quum minus, quam tunicae tum interna tum externa, extendi queat, facile illis, quibus extenuata est, locis dirumpitur. Quae atrophia atque hypertrophia in una eademque vena simul exstare possunt, ita ut tunicae externae hypertrophia iis in locis, in quibus tunica media dirupta jam deest, venae margines etiam crassiores, quam statu normali esse solent, reddat.

Valvulae, quae in senibus, in quibus omnino frequenter phlebectases observatae sunt, testante *Lobstein*<sup>23)</sup>, atrophia evanescunt, quemadmodum *Cruveilhier* judicat, nullas graviores partes in varicum formatione sustinere videntur<sup>24)</sup>, sed potius, exceptis quibusdam exiguis reliquiis, in vena varicosa deficiunt. Namque, uti primum ad certum usque gradum simul cum venae dilatatione magnitudine accrescant, ita postea in incrementis suis subsistunt cessantque et occludi desinunt. Tum in venae lumine expanduntur ac deinde diruptae, paucis remanentibus reliquiis, atrophia corripiuntur<sup>25)</sup>.

Jam, quum cognoverimus, qualis vasis varicosi status sit, considerare liceat, quale sit, quod contineat?

Sanguis, qui in varicibus inest, diversis temporibus

20) I. c. tab. V, fasc. 35.

21) ibidem

22) *Triquet*, Abrégé de Path. med. chir. Paris 1852. T. II, pag. 335.

23) *Lobstein*. Traité d'anat. path. Paris 1838. T. II, pag. 601.

24) I. c. pag. 2.

25) *Rokitansky*, I. c. pag. 661.

evolutionis diversus esse cognoscitur. Ab initio morbi sanguis venae varicosae liquidus eodemque colore fusco imbutus est, quo venarum reliquarum. Ad sanguinis fluxum quod spectat, eum *Roche*<sup>26)</sup> et *Sanson* in vena varicosa acceleratum esse affirmant, quibus tamen, idque jure ac merito, *Vidal*<sup>27)</sup> adversatur, statu varicoso circulationem venosam retardari testatus. — Quin etiam sanguis omnino subsistere potest, quo facto, quum una ex gravissimis conditionibus sublata sit, quae eo valent, ut ejus elementa ratione normali maneant, coagulari coepit.

Si quando majora apparuerint obstacula, quae, ne sanguis libere venam transeat, impedian, coagulis factis, varices conrectanti funiculos magis minusve duros sese exhibent. Hoc loco et phlebolithorum videtur injicienda esse mentio, qui persaepe in venis dilatatis inventi sunt. Quos inter alias in venis spermaticis, in tibiali postica venisque colli repertos esse scimus (*Phoebus, Adelmann*). Ceterum facile acciderit, ut quis eos phlebolithos cum sanguinis coagulis, quae in saccis valvulisque accumulata inveniuntur, confundat atque permisceat.

Coagula, si quidem jam paululum inveteraverint, colore suo prorsus exuuntur nec nisi uno loco vasis ambitui adhaerent. Interdum vena infra locum, ejusmodi sanguinis coagulo obstructum, obliteratur; quo facto, postquam venae parietes supra sanguinis coagulum aliqua causa disrupti sunt, fistula efformatur, de qua supra jam locus fuit, ubi dissereremus.

Nonnunquam, sanguinis circulatione in vena varicosa neutiquam turbata, atque interrupta, vasis parietes pseudo-

26) Nouv. élém. de path. med. chir. Paris 1828. T. V. pag. 22.

27) I. c. T. II, pag. 42.

membranae strato, colore flavo pomorum aurantiorum colori simili tincto, obtecti cernuntur. Quod stratum *Alibert*<sup>28)</sup> in varicibus ampullaceis vidit. Color iste flavus, qui proxime ad colorem extravasatorum apoplecticorum veterum accedit, non solani pseudomembranam, verum etiam vasis parietes inficere potest.

Telae varicem circumiacentes ipsae quoque persaepe mutationes pathologicas subiisse cernuntur, quippe quas alias oedematosas, alias lardosas, alias inflammatas vel exulceratas esse cognoscas. Tum eae in ulcera varicosa, quae jam supra descripsimus, permutantur.

### D i a g n o s i s .

Quodsi varicum venarum symptomata, quae modo descriptsimus, contemplamur, jam per se affirmari potest, hanc morbi formam, si quidem partes externas obtainuerit, ultimis stadiis suis diagnosi esse haudquaquam difficult.

Jam funicularum nodorumque colore caeruleo tinctorum decursus formaque et magnitudo, praesertimque eorum ratio, sanguinis affluxu refluxuque intercluso, diagnosim omni eximunt dubitatione. Accedit huc species partis affectae nodosa, fusca vel caerulea, in qua re pars laborans hoc mali gradu fere semper localem integumentorum inflammationem per stadia diversa usque ad exitum, ulceribus varicosis efformatis, praebet. Quod autem ad varicum partium internarum vel profundius sitarum diagnosim pertinet, ea, aegroto adhuc vivente, quum symptomata admodum dubia

28) I. c. pag. 330.

atque incerta sint, saepe cum majore minoreve verisimilitudine, nunquam omnino certo, persaepe omnino non statui potest.

Ratio autem, quam in definienda diagnosi sequamur, his fere contineatur. Anamnesis raro idque non nisi in funiculis glomisque inveteratis, sanguine coagulato repletis, alicujus est utilitatis, utpote quae plerumque perobscura sit. Saepe enim, ut hoc utar, aegroti in anamnesi nihil aliud afferre solent, nisi parti jam affectae ictum aliquando illatum esse vel refrigerium se contraxisse, quibus causis praegressis varices exstiterint.

Punctione probatoria (exploratoria) uti licet. Verumtamen ne haec quidem prorsus est certa. Sic quondam in casu a *Liston* <sup>29)</sup> tradito, punctione in tumore poplitis facta, nihil fluidi emanavit, postea tamen phlebectasi cognita.

*Vidal* <sup>30)</sup> tumorem dubium calefieri suadet, quem quidem, si varicosus sit, admodum intumescere ait. Quam methodum vir doctus, vestibus calefactis in usum vocatis, praecipue varicibus venae spermaticaee internae, qua affecta, eam adhiberi jubet, aptissimam esse observavit.

Nonnullis in casibus accurata anatomiae topographicae partis affectae cognitio diagnosim aliquanto faciliorum reddit. Etenim in varicibus externarum capitum venarum dignoscendis summi momenti est scire, eas maxime talibus occurtere locis, in quibus hae venae directa conjunctione cum venis internis, partim cum diploëticis, partim per emissaria, quae dicuntur, cum sinibus durae matris contineantur.

29) Journal für Kinderkrankheiten. Herausgegeben von Dr. *Behrend* und Dr. *Hildebrand*. 1844. Vol. III, pag. 452.

30) I. c. II, pag. 41.

Subsidium diagnosticum non minus grave commutatio situs partis affectae praebet. Quac quantopere diagnosim faciliorem reddere queat, *Nelaton* in opere suo de corporis positione in morbis chirurgicis scripto optime demonstravit. Nimirum commutatam positionem partibus speciem afferre a priore omnino diversam, inter omnes satis convenit.

Mihi nunc sufficiat, unius admonuisse casus, a *Lamrier* <sup>31)</sup> observati, in quo Hispanus quidam peregrinator sacer, annorum septuaginta senex, Roma redux in nosocomium Hotel-Dieu-Saint-Eloi receptus in brachio dextro tumorem obtulerit, a digitorum apicibus usque ad pectus porrectum. Brachio ad caput sublato, statim duo magni tumores in scapula et m. pector. majore apparuere, qua in re simul per cutem conspicere licebat, sanguinem a digitis inde per manum, antibrachium, humerumque transire. Qui tumores quo magis evoluti sunt, eo minus brachium affectum exstitit, duobus voluminis trientibus deminutum. Contra, si aegroti brachium deorsum dependebat, brachii tumor tanto major evasit, quo plus sanguinis a tumoribus ad pectus refluxit.

Neque minus idoneo arguento est casus huic perquam similis a *Schuh* <sup>32)</sup> traditus.

Cruris varices, quos diligentius contemplando sumsimus, cum aneurysmatis, cum abscessibus, cum herniis atque cum vasorum lymphaticorum varicibus permisceri potuerint. Itaque nostrum est, signa diagnostica, quae ad discernendas hasce morborum formas nos adjuvent, explicare.

31) Mém. de l'Acad. des Scienc. du Moutpellier. Vol. I.

32) Ueber die Erkenntniss der Pseudoplasmen. Wien 1851. pag. 123.

Ab aneurysmatis varices eo discrepant, quod illa reducta certis intervallis ratione arteriarum pulsationi isochronica rursus replentur, dum hi sensim ac paulatim sine ulla intermissione magnitudinem priorem recuperant<sup>33)</sup>. In varice, pulsatione praedito, haec segnis est, strepitu peculiari stridoreque prorsus deficiente. Praeterea, uti varix pressione ad finem vasis periphericum exhibita evanescit, ita tumor in aneurysmatis obvius pressando non commutatur adeoque major exsistit. Qua in re si licuerit aneurysma digitis prehendere, in cordis systole ad latus versus dilatari animadvertis, id quod in varicibus non evenit<sup>34)</sup>.

Inde extremitatum inferiorum varicem etiam cum hernia posse confundi jam admonuimus. Attamen talem tumorem dubium si reposueris locoque, quo positus sit, pressum ex parte inferiore applicueris, tum, siquidem hernia cruralis est, exemplo rursus apparebit, sin tumor est varicosus, illis, quas diximus, conditionibus praesentibus non recurrit. Sic a *Petit*<sup>35)</sup> casus quidam est allatus, in quo varix pro hernia habitus ope fasciae comprimentis tractatus fuerit. Interdum, si id agitur, ut utramque, de qua dicimus, morbi formam internoscamus, diligentiore opus est perscrutatione. Etenim tumores herniae cruralis, quamdiu haec talis est, quae reponi queat, praesertim enterocele, varixque venae cruralis, quandoquidem sanguis, qui inest, nondum coagulatus fuerit, nonnulla sibi eaque haud levia symptomata communia vindicant. Namque in utraque morbi forma aegrotantis situs ad tumoris magnitudinem maximi momenti est.

33) *Triquet.* L. c. Pars II, pag. 339.

34) *Hennemann* l. c. pag. 29.

35) *Boyer.* *Traité des maladies chir.* T. II, pag. 299.

Varix jam inveteratus, sanguinis coagulis impletus, qui ideo contrectanti duriusculus appetet, facile cum epiplocele crurali permisceri potuerit, praesertim si forte signa inflammationis in cavi abdominalis intestinis signa partis intestinalium in sacci herniosi collo haerentis simulant. Quod si quando acciderit, in definienda diagnosi sola anamnesis nobis pro duce fuerit.

A vasis lymphaticis varicosis vena varicosa eo differt, quod, sicuti plerumque ferunt<sup>36)</sup>, priora contrectanti dura funiculisque similia apparent, neque, pressu ad illa exhibito, ea, quae continent, loco moveri queunt, id quod in venis varicosis semper observatur. Hoc tamen signum valere non potuerit, nisi certo temporis spatio; nam, sanguine, qui in vena varicosa inest, jam coagulato, haec quoque in contrectando funicularum duriorum instar se praebet, neque magis pressando evacuari potest.

Melius haud dubie signum diagnosticum varicum natura sua dubiorum decursus nobis offerat. Etenim vasorum lymphaticorum species, lineae margaritarum similis, valvulis effecta, neque non cutis obtentis indoles, quae quidem, ut hoc unum afferam, in varicibus vasorum lymphaticorum nunquam subcaerulea reperitur, ac denique anamnesis, qua comperiatur, funiculos nunc contrectanti duros apparentes aliquando morbi initii parvos mollesque et evacuatu faciles fuisse, ad diagnosim plurimum contulerint.

Varix admodum subcutaneus si ab abscessu sit distinguendus, sane plus objiciatur difficultatis, praesertim si ea, quae varix ille continet, jam paululum conspissari cooperint.

36) *Beau.* *Revue med. chir. de Paris* 1851. pag. 22.

Quo in casu saepius malum non prius cognoscere contingit, quam operatione sanandi causa instituta. Namque signa localia, quae uterque morbus prae se ferat, valde sunt fallacia, ita ut, si forte m. psoae abscessus adfuerit, in diagnosis statuenda sola anamnesis ac cetera aegroti valetudo nos adjuvare queant. Quae modo diximus, vera esse ut demonstretur, casum statim describendum, qui ex analogia hoc videatur referri posse, pro exemplo commemorare licet.

*Ribes*<sup>37)</sup> casus cuiusdam mentionem facit, in quo medici ad consultandum arcessiti *Salmade*, *Larrey*, *Marijolin* et *Dupuytren* non potuerint certo statuere, utrum abscessus an aneurysma adasset atque ex sectione demum cadaveris instituta malum, quod prius diximus, adfuisse patuerit.

Denique, si quando varices tumorem phlegmasiae albae dolentis simulaverint<sup>38)</sup>, nisi forte alia symptomata praeter localia, jam inter se mixta, in conspectum venerint aut anamnesis nos certius aliquid docuerit, diagnosim statuere nullo modo licet.

### Aetiologya.

Ad varicositatum causas quod adtinet, eas optime in duas classes redigere possumus, quarum altera causas mali predispositionem quandam afferentes, altera occasioales complectatur. Quarum priores nunc in vasis structura, nunc in aegroti corporis constitutione, aetate etc. sunt repositae.

37) Mémoire d'Anat. de Phys. et de Pathol. Tom. III, pag. 146.

38) *Ravoth* et *Vocke*: Chirurgische Klinik. Berlin 1852. pag. 144.

Plerumque, causas occasionales proximas esse primumque conspicuas apparet, dum causae praedisponentes etiam remotiores esse solent.

*N. Chevers* in commentatione sua ita inscripta: „Observations ou the structural anatomy of the veins“, quae in Lond. med. Gaz Aug. p. 634<sup>39)</sup> reperitur, venarum membranas in diversis systematis venosi partibus diverso fibrarum decursu instructas esse ait. Quo teste, media venarum internarum membrana ex solis fibris circularibus consistit, dum in venis externis altero strato externo circularium, alteroque interno fibrarum longitudinalium praedita est. In quarum venarum nonnullis, praesertim vena crurali ejusque ramis primariis, stratum fibrarum circularium strato longitudinalium crassitie praestat. Quo fit, ut venae externae aptius tensionibus in longitudinalinem factis resistant, dum venae internae ad renisum repletioni nimiae opponendum magis idoneae videntur.

Quodsi venis externis nimium extensis fibrarum strata attenuantur, id quod praecipue tum accidit, quum ea statu normali non admodum crassa sunt, facile evenit, ut hic illic loca ista sinuentur. Quae res prope insertionem valvularum, quum hic locus pressui intrinsecus facto facilis quam partes circumjectae resistere valeat, omnium saepissime observatur. Sanguini in saceis accumulato valvulae, si a parte cordis stagnat, refluxum ad vasa capillaria saltem sufficentem non concedunt, dum sanguini a vasis capillaribus venienti transitum permittunt. Sic valvularum sacci

39) *Canstatt* und *Eisenmann*: Jahresbericht über die Fortschritte der Biologie 1845. pag. 70.

pressione, sanguine stagnante exhibita, admodum dilatantur. Omnino magna, qua venarum membranae excellunt, se expandendi facultas varicositatibus ansam praebet; namque, illa si deforet vas, rerum conditionibus tam multis ad id perpetuo dilatandum valentibus, certe dirumperetur<sup>40)</sup>. Varicibus saepe eis in locis causa affertur, in quibus vasa pari magnitudine praedita ita inter se conjunguntur, ut eorum trunci directione contraria concurrant, et fluxus sanguinis, in iis contenti, alter alteri quasi reluctentur. Statu normali quamquam sic nulla vasis dilatatio exoritur, tamen, causa vel minima accidente, his locis eo facilis existit. Quae res in aperturis corporis rotundis, ubi vasa in orbem partim alterum alteri occurunt partim inter se junguntur, uti ad os, ad pylorum, ad os uteri etc. manifestissime animadvertisit<sup>41)</sup>.

**Gottschalk**<sup>42)</sup>, si a causis mechanicis discesseris, varices in hominibus aetate proiectis tam saepe repertos ea causa inniti judicat, quod partium solidarum, quae circulationi praesint, cohaerentia ac densitas vigorque sint deminuta.

Varices locales saepius debilitate membranae venae locali provocantur<sup>43)</sup>. Quum venarum ad sanguinem venosum impulsus deficiat eisque necessitas imposita sit, propter sanguinis refluxum tam frequentem se dilatandi, quumque parietes parum reniti possint, causeae, in vasorum structura positae, varicibus efficiendis afferuntur.

40) *v. Gräfe* und *v. Walther*, Journal der Chirurgie und Augenheilkunde. T. 11, pag. 27.

41) *Gräfe*, Angiectasie, Leipzig 1808. pag. 51.

42) *Oppenheim's Zeitschrift für die gesammte Medicin*. Vol. 2, fasc. 2, pag. 235.

43) *Chelius*, Handbuch der Chirurgie. 1828. pag. 906.

Diathesin aneurysmaticam si posueris, etiam varicosa extet necesse est. In literis medicis multi casus, in quibus ejusmodi dispositio varicosa luculenter appareat, propositi inveniuntur. **Pohl**<sup>44)</sup> in opere suo de varicibus scripto casum de pueri quodam memoriae prodidit, in quo mater dura ac pia, pulmones, diaphragma, ventriculus ceteraque viscera varicibus repleta fuerint. **Boerhave**<sup>45)</sup> in homine melanotico omnes venas nimium dilatatas invenit. Scrophulae, rhachitis, syphilis, hydrops persaepe varices produxerunt, pariterque vapores noxii ac virulenti, aer humidus, et luminis defectus vasis dilatandis ansam dederunt, quam ob rem inter homines in fodiis opera facientes saepissime hoc malum observatur<sup>46)</sup>.

**Delpech**, cui *Vidal* etiam assentitur<sup>47)</sup>, in aetiologia varicum causis physicis justo plus gravitatis adscriptum esse contendit, qua re permotus, causarum praedisponentium potius rationem habendam esse existimat. Neque vero desunt medici, qui tales dispositiones varicosam extare omnino negent. Sic exempli gratia *Siebert*<sup>48)</sup> his verbis utitur: „Was ist eine dispositio varicosa? — Ich glaube nicht, daß irgend eine frankhafte Disposition den Venenhäuten eine solche Beschaffenheit ertheilen könne, daß sie sich erweiterten. Diese sogenannte Dispositio varicosa, welche eine Erweiterung vieler oder aller Venen des Körpers zur Folge hat, beruht gewiß stets auf Hindernissen,

44) *Gräfe*, 1. c. pag. 44.

45) ibidem.

46) ibidem pag. 43.

47) *Vidal*, 1. c. T. II, pag. 38—39.

48) Technik der medicinischen Diagnostik. 2. Bd., 1. Lieferang. Erlangen 1845. pag. 40

welche auf der Bahn oder an der Mündung des centripetalen Blutlaufs liegen. Eine sehr genaue Untersuchung wird dieses Hinderniß gewöhnlich aufzufinden lassen; leider ist dieses manchmal nicht möglich und in diesen Fällen wird die Nekroscopie Belehrung geben, daß das was man für dispositio varicosa gehalten hat, auf einem durch anderweitigen früher übersehenen Krankheitsproceß hervorgebrachten mechanischen Impediment beruhte.“

Causis praedisponentibus etiam venae tum positionem tum directionem esse adnumerandam, quivis intelligit, quum, ubi sanguinis fluxus contra pondus ac gravitatem sursum adscendat, facilius, quam iis in vasis, in quibus hoc momentum desit, varicositates efformari posse perspicuum atque apertum sit.

Hominum etiam aetatem, sexumque et ingenii temperamentum vim, quamvis exiguum, ad varices, causa occasionali allata, aut provocandos aut non provocandos exercere, sane ambigere non possumus. Etenim senes saepius, quam aetatem florentem, homines colore cutis fuscioire praeditos crebrius, quam flavos varicositati opportunos esse experientia docuit. Porro in hominibus aetate proiectioribus extremitatum inferiorum varices frequentius, quam in juvenibus, reperi, atque hos rursus venae sperm. intern. varicositati magis expositos esse compertum habetur. Denique, ut temperamentum lymphaticum facilius ad phlebectasim universalem inclinat, ita partialis in hominibus robustis procerisque saepius invenitur<sup>49)</sup>.

Praeterea una ex causis frequentissimis, quibus varices

orientur, in hominum quaestu ac pendente inde vivendi ratione quaerenda est. Praecipue, si quando partis alicujus positione sanguinis ad eam congestiones extiterint, eaque ob negotia, quibus homo incumbat, saepius repetitae fuerint, tum, brevi habituales factae, telas adeo commutant, ut facultate sua se expandendi, quae ipsis necessaria est, ut in sanguinem permeantem via mechanica agere queant, ex parte priventur. — Itaque perpetuo stando vel meando varices facillime oriri cernimus, praesertim in iis famulis, qui plures per horas pone carpenta pedum digitis insistere soleant, deinde in coquis, militibus, administris in tabernis, typothetis, lotricibus ac similibus.

Causae varicum proximae aut tales sunt, quae sanguinis venosi circulationem retardent vel inhibeant, aut quae eam, vegetationis processu exaltato, adaugeant.

Ad causas mechanicas, quae sanguinis venosi circulationem tardiorem efficiant, distortio vel obliteratio alicujus venae majoris luminisque ejus coarctatio refertur.

Venae lumen aut pressu extrinsecus exhibito aut momentis quibusdam internis coarctari potest.

Pressio, quam uterus gravidus vel ovaria hypertrophia aut hydrope affecta vel tumores scirrhosi, fibrosive atque similes, vel in graviditate extrauterina foetus, vel in hernia fascia exhibit, jam saepe ad varices provocandos valuit. Sic in casu quodam ab *Herapath* prodito unica, quae monstrari poterat, eaque perquam verisimilis varicis exorti causa in fascia herniali, per tres continuos annos pressante, reponenda fuit<sup>50)</sup>.

49) *Roche et Sanson*: 1. c. pag. 21.

50) cf. *Canstatt et Eisenmann*: *Jahresbericht etc. für 1848*. pag. 240.

Thoraces lintei admodum constringentes magisque etiam fasciae crurales justo astrictiores saepissime pro unica causa, quae varices produxerit, sunt habita. **Stromeyer** etiam de pressu fasciis atque ligamentis exhibito admonuit, qui quidem, quemadmodum post operationes contra illa adhibitas certo apparuit, saepe re vera unica erant causa, qua vena saphena vel vena cruralis intumuerat. Obstructio alvi continua, et consuetudo tergo incurvato sedendi, quum compressionem indeque pressum ad venas efficiat, mali origini favet. Satis noti sunt varices, inferius abdominis pedumque dimidium obtinentes, quos saepissime graviditatem stipare eaque finita rursus evanescere constat. Attamen sunt etiam casus, in quibus varices, quamquam causae, quibus vel effecti vel sustentati sint, perdurant, nihilosecias ipsi cesserent. Sic **Banner** quattuor in casibus ramorum venae saphenae varicositatem septimo graviditatis mense evanescere vidit<sup>51)</sup>.

Vena aliqua tensa vel distorta, pariter varicositates summa cum facilitate oriuntur<sup>52)</sup>, qua de re exemplo sint artuum extensio vehementior, luxationes etc. Saepe varix eo loco exsistit, quo venae ietu graviore contusio est illata (*Velpeau*).

Momenta autem interna, quae, ut venae alicujus lumen coarctetur, efficere possint, talia liceat proferre: parietum inflammationem, ac valvularum affectiones, quae valvulae intumescere, vel in cartilagini adeoque in ossa mutari queunt. Praeterea huc trahendi sunt phlebolithi et vermis a cl. **Trentler** in vena tibiali antica repertus (Hexathyridium venarum)<sup>53)</sup>.

51) **Canstatt** et **Eisenmann**: Jahresbericht etc. für 1847. pag. 229.

52) **Gräfe**, Angiectasie. pag. 47.

53) ibidem, pag. 49.

Casus ii, in quibus post majorem aliquem venarum truncum obliteratum magni aliorum varices exstiterint, sane admodum crebro observati sunt. Horum casum, quos **Stannius**<sup>54)</sup> collegit, p[re]a ceteris unum adferre mihi liceat. **Reynaud** enim anno 1829 virum quandam invenit, in quo tota anterior corporis pars venarum ramificationibus magnis plurimisque esset obtecta, accidente simul hydrope ascite vehementissimo. — Inde a regione iliaca utrimque trucus exbat, crassitudine digiti minimi praeditus, qui quidem in magnam ramulorum multitudinem dilabebatur. Qui ramuli tum inter se tum cum lateris oppositi ramis multifariam communicantes rete e maculis amplis compositum formabant, ex quo multi ramuli ad latera versus, alii sursum in axillam pertinebant. Aegrotus sex diebus, postquam in nosocomium Charitatis receptus erat, elapsis mortem occubuit. — Cadaveris sectione instituta, compertum est, venam cayam inferiorem fere usque ad locum 3" ab ipsius in atrium transitu distantem occlusam esse.

Praeter has causas, quibus circulatio sanguinis in vasis centrum potentibus retardetur, etiam mechanicarum corporis contentionum non omittenda est mentio. Clamores nimii, cursus, saltatio acrior, saltus et ipsa ad varicositatis originem valent, quippe quibus, sanguis ut in pulmonum vasis stagnet, efficiatur; qua ex causa major etiam sanguinis in ceteris venis stagnatio exoritur. **Carolus Bell** (cf. The Lanzet 1834 March.) praecipue plethorae systematis vasorum pulmonalium admonet atque, ne ea negligatur, suadet<sup>55)</sup>.

54) **Stannius**: Ueber die krankhafte Verschließung grösßerer Venenstämmen des menschlichen Körpers. Berlin 1839. pag. 29.

55) **Frotiep's** Notizen etc. Vol. XLI, pag. 334.

In numero causarum localem venae dilatationem efficiuntium etiam acutae venarum inflammationis reliquiae, quae chronicæ extiterunt, referuntur<sup>56)</sup>. Varices etiam eis in casibus exsistere, in quibus, praegresso vegetationis processu adaueto, in aliquam corporis partem congestiones fiant, supra jam exposuimus. Quod phaenomenon, ut exemplo utar, in eis observamus casibus, in quibus venae varicosæ tumores scirrhosos aliosque circumdent. Priores enim satis inter omnes constat nomen suum a venis dilatatis traxisse, quae venae quidem antiquis adeo pedum cancerorum memoriā revocabant, ut tumorem, cui comites illae se adderent, nomine scirrhi appellarent. Pseudoplasmata, vasis valde evolutis instructa, i. e. novo vasorum systemate in primarium partis alicujus sistema venosum interposito, semper varicositatem producunt<sup>57)</sup>. **Rokitansky** etiam sanguinis arteriosi in aliquam venam fluxum inter varicum causas numerat, id quod præcipue in varice aneurysmatico accidere videmus. Sic venas varicosas facilime in mammis tempore graviditatis evolvi cernimus<sup>58)</sup>. **Lieutaud**<sup>59)</sup> juvenem quandam cerebri varicibus, quod malum nimiis capitis contentionibus sibi contraxerat, extinctum vidit. Auctore **Soemmerring**, vasa plexus choriedei in hominibus frigore et apoplexia mortuis semper valde dilatata apparent.

Restat, ut in causis varicum venarum enumerandis sententiae, a **Rima** et **Pigeaux** prolatae, mentionem inferamus,

56) **Gräfe** und **v. Walther**: Journal für Chirurgie und Augenheilkunde. T. XI, pag. 22.

57) **Rokitansky**. I. c. pag. 663.

58) **Richter**: Dissert. de varic. gravid. Lipsiae 1781. pag. 11 (v. **Gräfe**. pag. 35).

59) **Gräfe**, I. c. pag. 27.

qui quidem viri<sup>60)</sup>, ut varicum originem explicarent, suas ac proprias quasdam hypotheses statuerunt. Etenim **Rima** extremitatum inferiorum varices in motione sanguinis retrograda eum in modum inniti contendit, ut sanguis e vena crurali in saphenam regrediatur atque a regione inguinali ad pedem deorsum pellatur, id quod vi quadam huic venae peculiari effici arbitratur.

**Pigeaux** varices ita explicare studet, ut, quibusdam symptomatis adductus, arterias venasque inter se communicare censeat. Quae sententia, quum ad hanc usque diem nequaquam certa atque explorata sit, non nisi casui cuidam singulari convenire potest. Quod autem ad opinionem a **Rima** propositam spectat, nos quidem satis habemus admonuisse, virum illum tamē theoriam protulisse, quae, quum vel sola anatomia descriptiva eam optimo cum successu impugnare liceat, hodie nisi respectu historico nullius sit pretii.

Varices congenitos esse posse, nostra aetate extra omnem dubitationis aleam est positum. Sic **Cartier** casum quandam observavit, in quo infants recens nati brachium totum venis varicosis obiectum esset<sup>61)</sup>.

Nonnunquam tamen fit, ut causas occasionales, quae varicum originem adjuverint, nullo modo cognoscere et exquirere contingat, quibus quidem in casibus anamnesis non præbet nisi ea momenta, quae ipsa per se tales venarum mutationes nullo modo provocare queant. Sic, ut exemplum afferam, a **Majo** casus quidem est traditus, in quo unica,

60) cf. **Rokitansky**, I. c. pag. 663.

61) Encyclop. Wörterbuch der medicinischen Wissenschaften, herausgegeben von den Professoren der medicinischen Facultät in Berlin. 1828. Vol. I, pag. 352.

quae exquiri potuit, causa refrigerio esset allata. Namque tempore convalescentiae pedis dextri intumescientia indeque, diebus 4 circumactis, venarum ejus tumor ingruit. Itaque, quamvis tam magnam diversissimarum causarum, ex quibus varicositas nascatur, multitudinem cognitam habeamus, tamen, quum non desint observationes, in quibus causa efficiens nequidquam quaesita fuerit, aetiologicala hujus morbi momenta nondum omni ex parte disquisita atque indagata esse evidenter appetit. Sic nulla reperta est causa idonea, ex qua varicum colli, interdum in feminis gravidis observatorum, quo casu tamen sanguis gravitatem suam sequitur, origo repetatur; neque magis intellectum est, quo fiat, ut in potatoribus nasi venae tam saepe varicosae cernantur.

*Gräfe* <sup>62)</sup>, nullum vas a dilatationibus satis tutum esse arbitratus, plurimis exemplis, quae ex medicis complurium gentium litteris repetivit, sententiae suea veritatem confirmare conatur. Ex quorum multitudine nobis pauca quaedam attulisse nunc sufficiat.

Plexus choreidei varices *Lieutaud* in juvene quodam post perpetuas capitis contentiones ortos mortem adeo inferre vidit <sup>63)</sup>.

Cerebri varices in femina mente capta observati sunt, quae paucis post morbi initium mensibus mortem obiit <sup>64)</sup>.

Piae matris varices in casu quodam puellam 16 annos natam, dementem factam, apoplexia extinxerunt.

Laryngis varices in casu a *Pohl* <sup>65)</sup> observato respi-

62) *Gräfe*, 1. c. pag. 41.

63) *Hist. anat. med. Amstel et Goth.* 1796. Lib. III. Obs. 164.

64) *ibid.* Obs. 60 et 61.

65) *Pohl*: Ueber die Blutaderknoten; aus dem Lat. in der neuesten Sammlung auserlesener Abhandlungen für Chirurgen. Leipzig 1763. pag. 6, 35, 36.

rationem impeditam, ac faucium varices, teste eodem, dysphagiam provocarunt.

Venarum pulmonalium varices a *Morgagni* memorantur <sup>66)</sup>.

Venae cavae superioris varicem, qui, oesophago pressando, dysphagiam efficerit, *Bleuland* <sup>67)</sup> descripsit.

Vasorum brevium varices *Lieutaud* in vomitu cruento observavit, quo in casu unum ex hisce vasis digitii minimi magnitudinem attigerat <sup>68)</sup>.

Femoris varices *Severinus* invenit, qui quidem juvenis cujusdam os femoris undique plexibus varicosis circumdatum vidit <sup>69)</sup>.

Varicosam ad uvulam excrescentiam *Helm* commemo-  
ravit, quae tempore vespertino <sup>70)</sup> in obdormiscendo suffo-  
cationis symptomata provocat, uvula varicosa super rimam  
glottidis in eamque imposita.

Quae quum ita sint, satis luculenter appetit, re vera  
nullum vas pathologicis istis commutationibus omnino esse  
liberum. Quin etiam contigit, ut de permutationum talium  
in diversis venis frequentia certae ponerentur leges atque  
regulæ. Sic *Lobstein* (Traité d'anatomie pathologique,  
Paris 1833), ejusque placitis qui consentit, *Briquet* varices,  
si de eorum in venis diversis frequentia quaeratur, hunc  
fere ordinem sequi testantur.

66) *De sed. et caus. morb. Venet.* 1761. Epist. 64, § 7.

67) Cf. *Specimen de difficil. alimentorum depulsione*. Vol. I. 1780,  
inest in *Sammlung auserlesener Abhandlungen für praktische Aerzte*. Vol. IX,  
pag. 731.

68) *Lieutaud*, 1. c. lib 1, Obs. 47, 49.

69) *Severinus de recondita abscessum natura*, pag. 227.

70) *Froriep's Notizen etc.* Vol. 22, pag. 48.

Rariſſime varices venam cavam inferiorem ejusque rāmulos afficiunt; deinde paulo frequentius venas labiorum, cutisque crinitae, caput obtegentis, ac laterum thoracis atque lumborum. Tum venae colli et extremitatum superiorum succedunt, deinde venae subcutaneae partis abdominis inferioris et vena cruralis. Jam venae funiculi spermatici, scroti labiorumque majorum sequuntur; tum venae pelvis, vesicae, uteri, vaginae intestinique recti, tum vena saphena externa, denique, quae frequentissime varicosa cernitur, vena saphena interna.

Varices saepius in corporis dimidio sinistro, quam in recto, animadvertisuntur, quae quidem res, praeterquam quod causa satis manifesta pressu quotidie intestino recto ad lateris sinistri venas iliacas exhibito innititur, etiam in altera quadam eaque altius recondita causa videtur esse reposita. Neque enim illa quidem sola valere credatur, quoniam ex aegrotorum 12 numero, in quibus *Vidal* ob varicocelen operationem instituit, tantummodo in tribus certo demonstrari potuit. *Vidal*, quod ad venae spermaticaē internae varicositatem spectat, regulam quandam statuit, cuius veritas certe ad hanc diem usu est comprobata. Etenim varicoceles semper in latere sinistro prius apparere atque, si quando in sola parte dextra reperiatur, tum haud dubie abnormem organorum circulationis situm deprehendi posse affirmat. Quam sententiam suam ea fulcit observatione, qua uno in casu, quo varicocele in sola aderat parte dextra, reapse perversam cordis positionem ope palpitationis cognoscere licuit. Si clo. *Gottschalk*<sup>71)</sup> fides habenda est, major va-

71) *Oppenheim's Zeitschrift*. Vol. XXII, fasc. 2, pag. 235.

ricum in sinistro corporis dimidio frequentia inde est reprehenda, quod hoc dimidium omnino minore evolutione minorque vigore excellat, quodque organa arteriosa potissimum ad partem sinistram conversa cernantur.

Ad varicum formam, quemadmodum jam supra diximus, multa sane momenta haud exiguum vim habent. In maribus varicositas crebrius in truncis primariis, in feminis potius ad venarum radices et pedis in dorso reperitur<sup>72)</sup>). Omnino in feminis rarius varices inveniuntur; namque observationes a *Velpeau* institutae<sup>73)</sup> rationem, quae maribus varicositate affectis cum seminarum eodem malo laborantium numero intercedat, talem esse docuerunt 30 : 7. Hanc morbi formam in majoribus nosocomiis rarius in curationem vinire, jam ratio, qua multitudo aegrotorum omnium, qui recepti sunt, cum numero varicibus laborantium continetur, satis probat. Anno 18 $\frac{5}{6}$ <sup>74)</sup> aegrotorum in universitatis Erlangiensis nosocomium receptorum numerus 1007 erat, ex quibus solum 8 varicibus erant affecti. Anno 18 $\frac{5}{6}$ <sup>75)</sup>, quum omnino aegroti 994 in nosocomium essent recepti, non amplius tres varicibus laborabant. Anno 18 $\frac{4}{6}$ <sup>76)</sup> in nosocomio Dorpatensi talis erat ratio 1026 : 11.

### Prognosis.

Varicositatis prognosim tanto certius statuere licet, quanto diligentius symptomata, in morbi decursu observata, exitusque mali soli naturae relicti perpenderimus.

72) *Ravoth et Vocke*: 1. c. pag. 143.

73) *Velpeau*: Leçons orales de clinique chirurg. faites a l'hop. de la Charité. Bruxelles 1840. pag. 31.

74) Deutsche Klinik 1851. pag. 487.

75) ibidem anno 1852. pag. 474.

Quo loco de morbi symptomatibus disseruimus, diversorum evolutionis graduum mentio jam est injecta. Plerumque decursus valde est chronicus, morbo plures per annos durante. Nonnunquam temporis spatio brevissimo varices eo usque evolvuntur, ut aegroti vehementer sollicitati ad artis auxilium confugere cogantur. Sic casus quidam a *Vidal* refertur<sup>76</sup>), in quo *Begin* in milite post itinera corpus admodum defatigantia intra trium mensium spatium varices, quibus totum crus sinistrum corriperetur, evolutos viderit.

In morbi decursu praecipue intumescentiae eodemato-sae, imprimis extremitatum inferiorum, exsistere solent, nec non tela cellulosa, varices cingens, hypertrophia atque inflammatione afficitur, quae saepe in indurationem exiens crebrius etiam in suppurationem transit. Inflammatio, quae et sponte in vena varicosa oriri potest, id quod casus a *Lisfranc*<sup>77</sup>) allatus coaguit, postea etiam in partes circumjectas porrigitur; quo facto, hae partes saepe phlegmasia late diffusa, interdum, stimulorum quoque vi diutius continua, abscessus posteroque decursu ulcera varicosa, late pertinentia atque profunda, efformant. In quorum vicinia si jam alia ulcera aut vulnera adsunt, eorum natura atque indoles jam commutata pariter in ulcera varicosa transit<sup>78</sup>). Quae ulcera cum statu varicoso tam intimo continentur connexu, ut, antequam hic status sublatus sit, consanescere omnino nequeant. Cutis varices vasorumque glomera varicosa tegens denique pressu atque expansione, cui exposita est, atrophica existit venaeque membranae, quamvis tunica in-

76) I. c. II, pag. 41.

77) Gaz. des Hôpital. 1842. Nr. 124.

78) *Vidal*, I. c. II, pag. 43.

terna hypertrophia sit affecta, tantopere attenuantur, ut dirumpi sanguinisque profusionem, quae adeo vitam aegroti in periculum vocare possit, provocare queant. Jam, si vena dirupta est, cutis superjectae continuitate integra, sanguinis profluvium subcutaneum exsistit quod quamquam per se nihil minatur periculi, tamen sequelis, quibus junctum est, funestis perniciqsum evadere potest.

Itaque *Chaussier*, *Murat*, *Langenbeck*, *Grimaud*, *Amussat*<sup>79</sup>) tales observarunt casus, in quibus varicis ruptura aegrotantem intra paucas horae partes sexagesimas morte afficeret. Etenim *Chaussier* in femina grava, *Murat* in quadam lotrice, *Grimaud* et *Amussat* in juvne jam adulto hunc tristem morbi exitum viderunt. Quin et *Copernicum* celeberrimum tali modo extinctum esse, memoriae est proditum<sup>80</sup>).

Ceterum, licet ruptura, nisi forte aliis effecta fuerit causis mechanicis, soli venarum varicositati attribuatur, tamen tales etiam haud deesse casus, in quibus vena non varicosa, nulla laesione traumatica praecedente, dirumpatur, argumento est exemplum a *Kirby* (Dubl. med. Press. 1846 Novbr.) in medium prolatum<sup>81</sup>). Qui in femina octoginta annorum, optima valetudine utente, vena saphena magna dirupta, sanguinis profluvium exortum esse narrat, quod, quum ope tornaculi est sedatum, jam usque ad dimidiam femoris partem pertinuit.

Varicum rupturas crebro causis adeo levissimis exstere, casus quidam documento sit, quo a *Brunns* varix in cute capitis crinita positus saepenumero levissimo pectinis

79) *Hager*: die Blutgeschwülste. Bd. 2, p. 779.

80) *Vidal*, I. c. T. II, pag. 45.

81) *Graevell's Notizen für practische Aerzte zusammengestellt* 1848. p. 438.

per capillos traducti contactu plures per horas sanguinem emisso dicuntur.

Verumtamen longe frequentior morbi exitus vasis obliteratio est. Quae obliteratio aut ex inflammatione adhaesiva oritur, vel via primaria in venae lumine facta, vel a partibus circumiacentibus eo derivata, aut sanguinis coagulis efficitur, quae venam, lumine ejus obstructo, ut oblitetur, adducit. Quod enim materiae, quae varici insunt, coagulantur, id sane in posteriore morbi stadio phaenomenon est maxime solitum; quod si extiterit, varices contractanti funiculi duriusculi apparent. Coagulum, nonnunquam evenit, ut non firmiter ad venae parietes adhaerescat, sed, venae continuitate uno loco interrupta, vermis ad instar extrahi possit. Jam vena vacua manet, sed fluidum turbidum excernit ac pro loci, quo est, diversitate etiam fistulam formare potest. Quas observationes quamquam *Vidal*<sup>82)</sup> primus instituisse sibi videtur, tamen jam ante eum *Clarus* et *Heisterbergk* idem docuerunt, quorum quidem posterior talia profert verba<sup>83)</sup>: „Fistulae ani, quae sinuoso cursu decurrunt saepissime nihil aliud sunt, quam ramifications venarum, quae tunicae pristina aliqua inflammatione incrassatae sunt et callosae factae“.

Cicatrices, quibus ex ulceratione exortis tum regiones circumjectae tum ipsa vena obducuntur, semper ad hanc aliquem exhibere solent pressum, qui saepius, ut ulterior venae evolutio subsistat atque inhibeatur, efficere valet. Idem cicatrice post vasis rupturam contracta evenit.

82) *Vidal*, 1. c. II, pag. 3.

83) *H. A. Heisterbergk* de varicibus dissertatione inaugurali medica Lipsiae 1824. pag. 19.

Prognosis in universum vitae aegrotantis satis fausta est habenda, nam casus ii, in quibus vasis ruptura mortem intulerit, si cum summa varicum frequentia compares, per quam rari esse cernuntur.

Praeterea non praetereundum est silentio, varices late diffusos ac multiplices in nonnullorum ordinum, veluti militum, vita atque negotiis magnam vim habere. Sic, ut hoc utar, in Russia<sup>84)</sup> secundum leges de militibus conscribendis latas homines varicibus multiplicibus affecti inter triones scribi vetantur. — Varices autem minores minusque crebri, infra patellam vel suram locati, tum solum, quum ulceribus conjuncti sunt, necessitate stipendia faciendi eximunt. Qua in re medici admonentur, ut duo varicum subcutaneorum genera inter se distinguant 1) varices apparentes, qui quidem, cute tenui, a venarum repletione dependant 2) vere morbosas venarum dilatationes. — Quod discrimin quo certius statuatur, tiro ut per duas septimanas in nosocomio urbano exploretur, praescriptum est. Namque varices apparentes, ne tiro inter milites recipiatur, impedimento esse nequeunt.

Similes institutiones et in aliis obtinent civitatibus, ut in Francogallia. Nam varices voluminosi ac multiplices ibi quoque eorum morborum numero habentur, quibus qui laborent, in cohortes praetorianas nequeant recipi<sup>85)</sup>.

84) Cf. Сводъ Законовъ Граж. (editio 1842) vol. IV. Уставы рекрутскіе прилож. къ ст. 268. Наставление медицинск. чиновник. въ рекрутскія присудствія къ приему рекрутъ отряжаемымъ ст. 34 къ 20 продолж. Т. V. Устав. рекрутск. продолж. къ ст. 268, 34.

85) Cf. Art. 37 in nomenclature des maladies et infirmités reconnues incurables, qui sont incompatibles avec le service de la garde nationale, arrêtée par l'académie nationale de médecine. Inest in Revue med. chirurg. de Paris. 1851 Juni. pag. 379.

Jam si quaeratur, varices utrum sanari possint neene, ad eam quaestionem diversis modis est respondendum. Neque enim obliviscamur oportet, saepe varices pro salutis tutamine esse habendos; quam candem haemorrhoidum esse rationem, inter omnes convenit. — Jam *Hippocrates*<sup>86)</sup> (Lib. 6. Aphor. 24.) haec ait: „Insanientibus si varices vel haemorrhoides supervenerint, insaniae solutio.“ — Interdum<sup>87)</sup> in mulieribus, quum menstrua cessavissent, varices oriri viderunt, nec non<sup>88)</sup>, mensibus suppressis, eos extintisse nonnunquam novimus, menstruorum vice fungendo singulis mensibus sanguinem fundentes. — *Chaussier* quoque matronam observavit, quae, quotiescumque pedes varicibus obtectos constringi juberet, asthmate fuerit correpta<sup>89)</sup>. *Bérard* casum affert, quo vir plethoricus, varicibus, quibus laboraverat, sanatis demens evaserit. — *Vidal* coquam quandam, quotiescumque pedum varices comprimeret, abortum perhibet fecisse.

In universum morbi praesagium satis secundum ponere licuerit, quamdiu phlebectases modicae sunt recentesque ac molles, nulla insigniore et telarum circumjectarum et ipsius venae parietum degeneratione conjunctae, atque dum vasis sanguinem afferentibus compressis evacuari possunt.

Si autem phlebectasis jam inveterata fuerit, prognosim tam prosperam statuere non possis. Namque in facienda prognosi vel hoc maximi est momenti, quod, media venae

86) *Prosper Alpinus de praesagienda vita et morte aegrotantium* (ed. *Friedreichiana* Vol. I, pag. 352, a. 1828.

87) *Triquet* 1. c. II, pag. 337.

88) *Hildebrand* 1845. Vol. IV, pag. 451 et *Roche et Sanson* 1. c. T. V, pag. 21.

89) Cf. *Vidal* 1. c. II, pag. 42.

tunica incrassata, vena, si dissecueris, non collabitur, sed aëri externo aditum praebet, quae res quam perniciose habeat sequelas, satis est exploratum.

In litteris medicis quidem permulti descripti sunt casus, in quibus, aëre in venam aliquam intrante, celeriter mors sit illata. Quae observatio praecipue ad operationes in regione colli axillaeve atque mammarum factas pertinet. Tali in casu subito ac repente aër atmosphaericus cum quodam stridore in venae lumen intrans auditur. Aegroti summo languore correpti et paene animo licti subito clamitant et magnam anxietatem conqueruntur, faciei specie repente commutata pariterque, uti in extremitatibus cernitur, colore subcaeruleo tincta. — Et facies et extremitates frigido obtengunt sudore, qua in re aliquoties satis clare sonitus ille notus (Gluglugeräusch) auditur, quem tamen saepe, nisi stethoscopio in usum vocato, percipere non licet. Jam, paucis sextagesimis exactis, aegroti mentis impotes facti mortem obeunt. Quae phaenomena et 1818 a *Buchane* et saepius aetate recentiore sunt observata. Sic verbi causa *Dupuytren*, quum jam ante operationem verisimile esse intellexisset, fore, ut ejusmodi casus accideret, aegrotum quendam, hisce symptomatibus mortem comitantibus; exstingui vidit<sup>90)</sup>). Similiter et *Mercier*<sup>91)</sup> casum quendam a *Roux* observatum tradit, in quo, dum humerus exarticulatur, aegrotus mortem occubuerit.

Hi casus, quibus facile est multos consimiles adjicere, aëri sin vasorum lumina introitum omnino letalem esse,

90) v. *Gräfe und v. Walter*: *Journal etc.* Vol. XX, pag. 311.

91) *Schmidt's Jahrbücher* 1838, pag. 306.

certo demonstrare videntur. E contrario, quum experimenta, quibus animalia<sup>92)</sup> adhibita sunt, his sine ullo incommodo etiam majores aëris atmosphaerici copias in venas inflatas esse docuerint neque desint operationes, in quibus aër atmosphaericus in hominum venas, morte non allata, intraverit, nimirum plane atque evidenter elucet, vim illam mortiferam certis quibusdam conditionibus, quae quales sint, ad hunc diem nobis latet, esse adstrictam. — Experimentis in animalibus factis, quorum modo mentionem intulimus, alia rursus sunt contraria, in quibus Prof. **Brugnies** Bruxellis equos in caudis more Anglo praecidendis, aëre in venas intrante, subita morte periisse testatur.

Ex casibus multis, in quibus, ut aegroti a periculo aëris atmosphaerici in venas introitu adducto servarentur, feliciter contigit, hoc loco nobis sufficiat hosce commemo-ravisse:

**Amussat**<sup>93)</sup>, aegrotae, quum in mamma dextra scirrosa auferenda ea, quae descripsimus, signa adversa ingruissent, aëre, qui intraverat, ope compressionum mammae propulso vitam conservavit.

In casu, quem **F. O. Warren**<sup>94)</sup> ex America septentrionali publici juris fecit, aegrotus cuius facies, postquam strepitus ille peculiaris (Gluglugeräusch) auditus est, eundem, quo aës est, colorem induerat, forti arteriotomia temporali in usum vocata,

92) Secundum experimenta ab **Amussat** facta inter casus 28 vices quater mors consequitur. Cf. *Recherches sur l'introduction accidentelle de l'air dans les veines par Amussat*. Paris 1839 et *Sicheres Heilverfahren bei dem schnell gefährlichen Lufteintritt in die Venen und dessen gericht-ärztliche Wichtigkeit von Dr. Wattmann*. Wien 1843.

93) *Gaz. Med. de Paris*. Juillet 1837.

94) Cf. *Schmidt's Jahrbücher* 1838. pag. 312.

in vivis mansit. — Aër ne in venas intraret, prohibiturus, **Lafargue** anno 1836 die mensis Septembris 12. in academiae Parisinae concessu auctor exstitit, ut operationes, in quibus hucusque symptomata illa creberrime essent observata, praesertim in venae jugularis sectione, in tumoribus colli, humeri, axillae vel in regione glandularum mammalium extirpandis sub aqua instituerentur, hujus in venas introitum nullam vim nocivam exercere arbitratus.

In statuenda prognosi varicum tum sedem tum magnitudinem atque aetatem summi esse momenti, facile perspicitur. Varices internos multo infaustioris, quam externos, esse praesagii, per se intelligitur, utpote quos nec cognoscere licet, nisi ex functionum turbis inde profectis, nec, id quod longe gravissimum est, eis, quae in promptu sunt, auxiliis chirurgicis, a quibus solis varicum sanatio est exspectanda, adsequi possumus. Causarum tum praedisponentium, tum occasionalium, si id agatur, ut prognosim statuamus, quam maxime ducenda est ratio. — Quarum causarum quum complures nullo modo tollere atque amovere liceat, quo modo, quae, ullam spem concipiamus, fore ut morbus radicitus sanetur? Cura autem palliativa non potest aegroti statum meliorem reddere, nisi tamdiu, quam effectus causae morbi adhuc perdurantis agentisque remedii palliativi efficacitatem irritam reddere nequit. Itaque aegrotus, causa morbi adhuc permanente needum remota, ope operationis tam diu vari-cibus, quibus laboravit, liber esse potuerit, donec causa vetus operationis, i. e. hoc in casu remedii palliativi, effectum, nempe cicatricis contractionem, vincere atque discutere non valeat. Quam vim ut primum erit adsecuta, varix denuo existat necesse est. — Quin etiam, quum primariam vari-

cositatis causam, mechanicam circulationis sanguinis turbationem dico, instituta operatione, vi auxerimus, tali in casu etiam alii varices exoriri solent. — Quodsi varicositatis causam etiamnum tollere licet, si varices recentes mollesque sunt et evacuari queunt, prognosis satis fausta est statuenda. — Verumtamen, licet operationem suscepis, ut malum radicitus tollatur, a morbis recidivis aegrotus, quemadmodum medicorum quorundam observationes demonstrarunt, nullo modo tutus praestatur. Usus enim atque experientia docuit nulla ex operationibus ac ne excisione quidem magnae venae partis, quominus malum recidat, prohiberi posse.

In iis autem casibus, in quibus varicositas inveterata jam majores telarum circumiacentium commutationes efficerit telaque cellulosa infiltrata vel inflammata vel adeo exulcerata fuerit, prognosis non possumus, quin infastam dicamus. Quae commutationes si quando alias easque graviores provocarunt, si, ut exemplum proferam, ulcus varicosum ossis subjecti cariem effecit, tum sane prognosis morbi pessima est statuenda.

### T h e r a p i a.

Morbi, de quo dicimus, exitus, quos, malo naturae mandato, hujus vix medicatrix provocare solet, nobis viam monstrant, qua inita nos in varicum cura exoptatum successum adsecuturos esse speremus. Namque, naturam si magistrum delegerimus, tutissimam nos viam ingredi, dicti verissimi: medicus curat, natura sanat, memores, omnium aetatum usu atque experientia compertum habetur.

Priusquam autem ad perlustranda remedia transeamus, quae nobis ad varices tollendos in promptu sunt, nonnulla

de iis conditionibus exponenda videntur, quae nos remedia illa in usum vocare jubeant. Plerumque dolores cum variis conjuncti aegrotos, ut ad artis auxilium confugiant, impellunt. Quo in casu si nullas invenerimus causas, quae nos malo occurrere vetent, modo curam palliativam, modo rationem, quae ad morbum radicitus tollendum valeat, deligamus. Quarum methodorum utram praeoptemus, id a rerum conditione, qualis in unoquoque casu adest, dependet.

Ad causas autem, quae malum oppugnari jubeant, dolores, rupturae periculum imminens, inflammatio vel exulceratio telae cellulosa varicibus effecta pluresque alii, qui in singulis casibus obtinere possunt, affectus sunt adnumeranda.

Inter causas vero, quibus varices tollere vetemur, praeceteris tutamen salutis, illis allatum, memoremus oportet, ad quod tamen in singulis casibus etiam aliae causae adjungi possunt.

Morbus, si quidem naturae permissus fuerit, quemadmodum jam supra monuimus, exitum habet 1) in vasis obliteracionem cicatricisque formationem, qui quidem processus aut in ipsius varicis aut telac eum cingentis parietibus evenit.

Itaque, malum sanare conati, naturam imitando iis utamur remediis, quae aut efficiant, ut vena obliteretur aut, cicatricis contractione supra venam provocata, hanc ad volumen pristinum restituere valeant.

Quae remedia haec sunt. Si id agitur, ut venae volumen pristinum restituatur, nulla operatione instituta, praecipue diaetae regimen, remediorumque adstringentium eorumque medicaminum usus, quibus compressionem exhibere liceat, nos adjuvant.

Ratio, quae semper, si aegrotantes varicositate vel me-

dicorum vel hominum artis non peritorum auxilium implorant, suaderi solet, in eo consistit, ut aeger, quam possit minimum, stet eatque, sed potius dorso incumbat. Quae ratio, praesertim si varicositas deminuto venae parietum tonititur, eventum prosperum habere potest.

E contrario non desunt causae, quae eam rationem in usum vocari prohibeant; quam ob rem in ea utenda quam maximam cautionem adhibeamus oportet. Sic in hominibus aetate provectis, in quibus tali rerum conditione facillime congestiones hypostaticae exoriri potuerint, ista cura cautissime est utendum.

Plus auxilii a methodo illa, cum medicamentis adstringentibus tonicisque conjuncta, exspectandum videtur. Remedia adstringentia enim atque tonica, praesertim cum compressione juncta, saepe multumque ad morbi initia debellanda in usum conversa sunt. Usu interno etsi rarius adhibentur, tamen, si revera ad causam mere localem tollendam valent, tanto plus ab usu eorum topico sperandum esse credideris. Quorum remediorum locum principem obtinet frigus, quod vel lotionum forma vel compressis frigidis madidisque adhiberi solet. Quod remedium nobis tum quoque, quum id spectamus, ut cutis inflammationem, quam saepissime in majoribus varicibus exsistere satis notum est, impugnemus, auxilium est allaturum. Inter alia remedia, quibus tali in casu utendum est, hoc loco tantum de hirudinibus mentionem fecisse sufficiat. Ad eas quod attinet, non desunt chirurgi, qui illarum usu abstinendum esse judicent, vulnera hirudinum morsibus illata in ulcera varicosa facillime transmutari rati. Quorum tamen timorem

omnino vanum inanemque esse **W. Lawrence**<sup>95)</sup> plurimis observationibus se cognovisse ait, qui quidem vir doctus hanc localem sanguinis depletionem aptissimam esse censet, qua dolores ulceribus excitatos tollamus, quibus sublatis, plerumque sanationem sponte insequi affirmat. Tum demum ea succedunt remedia, quae in adstringentium numero haberi solent. Ad usum externum, ad quem plerumque adhiberi solent, plerisque in casibus non nisi, quae minoris sunt pretii, applicantur; inter quae nnnc corticem ulmi, c. hypocastani, c. quercus, radicem tormentillae etc. nominavisse satis est. Praeterea et praeparata plumbi, modo sola per se, modo, idque creberrime, forma acetatis plumbi, modo cum aliis remediis adstringentibus conjuncta, in usum vocantur.

Sic, ut exemplo utar, Dr. **Duerr**<sup>96)</sup> ad varices multum doloris cientes oppugnandos et ipse aquam ex decocto radicum ulmi et tormentillae in vino, cum saccharo Saturni, cicuta et spiritu formicarum paratam ad lavandum adhibet et aliis, ut suum exemplum sequantur, praecipit.

Haec quoque remedia aut forma aquae ad lavandum aut compressis fasciisque humefactis in usum convertuntur, si quidem earum applicationem cum compressione conjugere volueris.

Ab hac compressione jam plus auxilii sperari potest, verumtamen ejus usus non erit, nisi iis in casibus, in quibus vas varicosum fundamento duro ac solido nitatur. Namque, hoc nisi adforet, periculum esset, ne vas in partes subjectas imprimemeremus harumque atrophia exsisteret.

95) **W. Lawrence:** Vorlesungen über Chirurgie und chirurgische Therapie. Deutsch von Behrend. Leipzig 1833. T. I, pag. 239.

96) **Hufeland's Journal** 1823, May.

Compressio jam inde ab antiquissima aetate fuit usitata.

Compressio localis, facile accidit, ut partium infra locum, quo fiat, jacentium oedema provocet; qua causa ad ducti non dubitamus, quin extremitatis totius involutiones sint praferenda.

Ad instituendam hanc compressionem variae commendaiae sunt rationes, inter quas tibialia constringentia, ex corio canino vel gummi elasticō parata, nec non fascias e charta densata atque tempore recentiore fascias glutino oblitas nominare liceat.

**Gottschalk**<sup>97)</sup>, quo loco observationes suas de fascia hac a **Seutin** commendata enarrat, fasciae humectatae usum eo maximi momenti esse dicit, quod compressionis vis atque effectus evaporatione calorem leniente adaugeatur calorque partis affectae deminuatur. **Gottschalk** in relationibus suis id maxime praedicat, laudatque, quod fascia illa nulla efficiatur pulsus acceleratio. Accedit, ut alia quoque phaenomena, quae circulationis sanguinis actionem quodammodo commutatam esse indicant, solum uno in casu fuerint animadversa, in quo quidem aegroto jam duodecimum annum hoc malo laborante nono post fasciarum glutino illitarum applicationem dyspnœa tussisque ac rhonchus mucosus exstisset traduntur. **Sedillot**<sup>98)</sup> fere sententiae illius subscribit. **Thirion** commentationem, praemio ornatam publici juris fecit, ita inscriptam: „De la compression, son mode d'action et sa valeur therapeutique“, in qua disquisitionum suarum de hujus methodi utilitate susceptarum eventum re-

97) *Oppenheim's Zeitschrift*, Vol. 22, fasc. 2, pag. 236.

98) *Sedillot*, I. c. pag. 294.

ferens, eam solam in casibus perpaucis auxilium praestare, at cum aliis remediiis therapeuticis, quae telae contractilitatem minutam rursus ad normam revocare valeant, conjunctam sane gravissimi momenti esse profitetur.

Fasciae autem glutino oblitae fasciis e charta duplicita factis longe sunt praeponendae, quippe quae melius ad partes affectas sese applicare possint, quam charta densata humefacta.

Iis in casibus, in quibus varices salutis tutamen sunt, per se intelligitur compressionem non esse adhibendam. Sic in ephemeridibus **Oppenheimianis**<sup>99)</sup> casus cujusdam inlata est mentio, in quo, quum compressio circularis varicibus feminæ gravidæ esset adhibita, copiosa sanguinis ex utero profusio exorta sit, quae et periculum moverit, ne abortus fieret, nec prius, quam fascia amota, sit sedata. Sic etiam **Burns**<sup>1)</sup> in mulieribus gravidis varicum compressionem periculo non vacare affirmat.

---

Compressio, si eam cum successu adhiberi volueris, (qui successus num omnino unquam contingat, dubium est) longius per tempus, quin complures menses est continuanda, quoniam vena, etiamsi compressione diutius utare, saepe tantummodo complanatur fasciaque amota, aliquot vixdum horis transactis, priorem suum ambitum recuperat.

Hoc loco non est alienum, etiam curam gymnasticam a **Ling** commendatam commemorare, quae quidem ratio et ipsa ad varices oppugnandos fuit adhibita. Sic Dr. **Eu-**

99) I. c. Vol. XXII, fasc. 2, pag. 236.

1) *Burn's Handbuch der Geburtshilfe*. Herausgegeben von *Kilian*. Bonn 1834. pag. 255.

lenberg<sup>2)</sup> in praeclara sua de hac curandi methodo commentatione casus cuiusdam<sup>3)</sup>, quo Holmiae eo, quo ipse ibidem vixerit, tempore aegrotus pedum varicibus laborans ab instituti chirurgici directore Prof. **Branting** curatus fuerit, mentionem facit.

Eum finem si quis sequatur, ut venam varicosam sanguinis coagulo obliterari studeat, haec fere subsidia illi in promptu sunt.

Acupunctura, punctura ope columnae galvanicae, filorum per vas affectum trmissio secundum **Fricke**, et injectiones coagulantes. Verumtamen omnia, quae diximus, remedia, si adhibueris, venae inflammationem vel majorem vel minorem provocant, quo sit, ut eorum effectus partim ad sanguinis coagulationem, partim ad phlebitidem sit referendus.

Acupunctura, quam scimus ab *Hippocrate* jam suam fuisse, posteriore tempore ab *Ambrosio Pareo*, et *I. L. Petit* in usum est conversa<sup>4)</sup>.

Qui viri docti, vena dilatata ope acus argenteae vel aureae simpliciter transfixa, inde sanguinem e varice exprimi jusserunt. Attamen nostra aetate haec methodus fere omnino in desuetudinem venit. Namque, quamquam *Lallemand* nec non *Roux* saepius ea uti conati sunt<sup>5)</sup>, tamen semper omni caruit eventu prospero. Recentiore tamen tempore eadem methodus a *Pauli* idque optimo cum successu in casu quodam, quo tumor  $4\frac{1}{2}$  pollicem diametro aequans e vasis

2) Deutsche Klinik 1852. Nr. 30—31.

3) ibidem pag. 350.

4) Заблоцкий-Деслоцский. Опухли вены на нижнихъ конечностяхъ. С. Петербургъ 1843. pag. 5.

5) *Sedillot*. I. c pag. 297.

sanguiferis fluxuosis consistens post laesionem mediae frontis parti lapsu illatam extiterat, fuit repetita<sup>6)</sup>

Testante *Costilhes*<sup>7)</sup>, qui varias methodos therapeuticas ad tumorum erectilium curam usitatas comparat atque dijudicat, acupuncturam, quamvis magnam acuum multitudinem adhibueris, nunquam tamen ad perfectam vasorum obliterationem valere contendit.

Etiam vis galvanica acupuncturis conjuncta, quae ratio punctura galvanica appellatur, ad sanguinis coagulum in venae dilatatae lumine efficiendum fuit proposita. Verumtamen usque ad hanc diem justo minor est earum operationum numerus, quam ex quo de ejus methodi pretio iudicium faciamus.

Prof. *Schuh*, qui tempore recentiore de hac curandi methodo experimenta instituit, eorum eventum publici juris fecit<sup>8)</sup>.

Acus, in ea operatione usitatae, plerumque ex platina confectae fere usque ad ipsos apices gummi laccae obduci solent, columna, eam in rem necessaria, e laminarum paribus 10—30 composita. Operatio, nisi forte jam prima successum habuerit, compluribus diebus deinceps repeatenda est.

*Schuh* in quinque hominibus eam operationem quinque decies instituit. Quia in re vir celeberrimus has tantum cautelas observandas esse monet, ut primum acuum apices libere alter alteri oppositi in vasis lumen convertantur, ita ut inter se non tangant, deinde ut sanguinis circulatio supra

6) Archiv für physiologische Heilkunde. 1853, pag. 209.

7) Gaz. med. 5. Jul. 1851.

8) Wiener Zeitschrift. Juni 1850.

locum, quo operatio fiat, ope fasciae sistatur. Eventus harum operationum, ut paucis ac breviter describam, tales fuerunt. Acus si removebantur, postquam fluxus galvanicus per sexagesimas 10—20 egerat, in locis, ubi acus infixae fuerant, solummodo tum sanguinis guttulae apparebant, quum acus rubiginem traxerant. Sanguinis coagulatio non semper statim post fluxus galvanici effectum, sed demum horis pluribus elapsis in conspectum veniebat, indeque dierum 1—2 spatio accrescebat. Sanguinis circulatio quo quietior fuerat, dum operatio durabat, tanto certius cogulatio exsistere solebat. Quin etiam, acubus plures per horas post fluxus galvanici vim sublatam quieti datis, qua in re tamen etiam acus via galvanica paululum inauratae rubigine corripiabantur, coagulatio sanguinis adjuvari videbatur. In polo negativo coagulatio prius quam in positivo exoriebatur. Vis galvanica dum agebat, circa acus vesiculae coloris e griseo albidi lentium magnitudine praeditae extiterunt, quarum illa, quae in polo zincico orta erat, et prior apparebat et major parteque media elata cernebatur, dum altera in polo negativo vesicula in centro suo exiguum depressionem ostendebat. Dum fluxus galvanicus vim suam exhibebat, etiam gasorum evolutione in area angusta colore rubicundo tincta, qua utraque vesicula cincta erat, animadverti potuit adeoque crepitacionem exaudire licebat. Die post operationem secundo vesicularum loco parva apparebat eschara, quae, hebdomadibus 2—3 circumactis, nulla suppuratione facta, decidebat. Tantum in uno ex quinque illis aegrotis suppuratio exstitit. Inflammationis symptomata in hac operatione, quantum *Schuh* experientia edoctus est, perquam sunt levia neque nisi paucos per dies continuantur; qua in re venarum parietes

coagulo sanguinis cum tunica interna cohaerente ad centrum versus trahuntur coque, ut lumen vasorum coarcletur, efficiunt. *Steinlein*<sup>9</sup>), ut acus aut ex zinco confectae, aut ex zinco stannoque paratae, aut ex plumbō factae sed zinco obductae in usum vocentur, suadet. Epidermidem, quo melius fluxum galvanicum propagaret, iis in locis, quibus acus infigerentur, aut salis, aut acidi solutione contrectabat.

Punctura ope columnae galvanicae, ut plures secundos praebeat eventus, compluries est repetenda ac, quantum ex experimentis a *Schuh* factitatis eluet, auxilium videtur omni periculo carens ad varices sanandos aptissimum. Operatione quattuor aegrotis ter decies adhibita, nemo mortem occubuit, duabus perfecta restituta est sanitas, duo reliqui, malo haud parum in melius converso, dimissi sunt.

Jam ex eventu prosperrimo, quo haec operatio contra aneurysmata adhibetur, conclusionem efficere possumus, in varicibus aequa faustum futurum esse exitum, praesertim si, circulatione sanguinis in varicibus inhibita, ejus vim atque effectum, ut ita dicamus, in unum contuleris.

*Bonnet*<sup>10</sup>) ex litteris chirurgicis triginta duos colligit sus, in quibus punctura ope galvanismi successu laetissimo fuerit. In nostrae universitatis litterarum nosocomio chirurgico anno 184 $\frac{1}{2}$  venae saphenae ectasis ope punctuae gal-

---

Dr. *Fricke*, Hamburgensis, simplici acupunctura non acquiescens, acum per vas varicosum tantummodo eo consilio immittit, ut postea filum trajiciat, quod setacei ad instar

9) *Steinlein*. Ueber Galvanopunctur bei der Behandlung von varices und aneurysmen in Prager Vierteljahrsschrift. Jahrgang XI. 1854. Vol. I, p. 27 u. 28.

10) *Schmidt's* Jahrbücher 1853. Bd. 77, pag. 271.

vanismo factae a Professore *Adelmann* felicissime est sanata. in vasis lumine relinqui jubet. In qua ratione vir doctus eum sequitur finem, ut et corpore alieno vehementiorem inflammationem adhaesivam provocet, quam simplici acu punctura possis efficere et ad sanguinis coagulationem accelerandam in vena certum quoddam ac stabile punctum offerat. Filum ut transmittatur, venam cum cate ipsam obtengente duobus digitis prehensam tendi vasque eo modo in plica sublatum compluries transfigi jubet; quo facto filum trajiciatur. Haec ratio in quovis varice, quem obliterari volueris, in usum converti potest. Fili fines supra venam laquei in modum laxius connectuntur. Inde quotidie bis fila hoc illuc trahenda sunt, quoad inflammatio in vena cuteque erit evoluta. *Fricke* filum demum inter diem secundum quartumque amoveri suadet. Hac methodo adhibita, morbum tamen recidere posse, documento est casus, in nostro nosocomio observatus, in quo aegroto ante ipse *Fricke* operationem hanc instituerat. Auctore *Velpeau*<sup>11)</sup>, in varicositate late extensa quattuor fila sufficient, quorum duo paullulum infra genu, altera duo prope superiorem partem femoris trajiciantur. In experimentis, quae vir celeberrimus instituit, duodecim hac ratione in usum vocata vehementissima exorta est inflammatio phlegmonosa<sup>12)</sup>.

Ut sanguis, in vase dilatato contentus, coagularetur, tempore recentissimo injectiones in venae lumen sunt institutae. Quam methodum omnium primus *Pravaz* ad vasorum dilatatorum (praesertim aneurysmatum) curam in

11) Diction. des Diction. Paris 1850. pag. 845.

12) Dr. J. M. Bourgery. Traité complet de l'anatomie de l'homme comprenant la med. operat. Paris 1837. T. VI, pag. 152 et Заблоцкий I. c. p. 18.

consessu acadiae Parisinae anno 1853 mensis Januarii die 10. commendavit. Quo facto *Raoult Deslongchamps* in opere, abeille medicale inscripto, anno 1853 mensis Augusti die 15. casum, quo ista ratio adhibita fuerat, publici juris fecit, simul, ut eadem in varicositate in usum vocaretur, suadens<sup>13)</sup>.

Societatis chirurgorum consessu anno 1853 mens. Octob. die 18. habito *Follin*<sup>14)</sup> aegrotum eum, in quo ferri perchlorati injectionibus duos tumores varicosos venae saphenae pedis dextri tractaverat, produxit. Vena universa dilatata cernebatur, at infra genu duo erant venae tumores varicosi, stricte limitati. Punctura ope acus triquetrae facta, injectio guttarum 16 in varicem est suscepta. Aegroto nihil doloris sentiente, inflammationis symptomata, quae ingruerant, brevi tempore cessaverunt, quo facto quum quattuor elapsi essent dies, aegrotus e nosocomio fuit dimissus. Tumor duriusculus exstiterat nec amplius quidquam doloris commovebat. Mense uno cum dimidio exacto, quum *Follin* aegrotum revisisset, sanguinis coagulum in vena saphena fere centrimetris 12 supra locum, quo injectio facta erat, pertinuit. *Follin* praeterea hac operatione in aliis duobus casibus usus est, quorum altero dubium erat, num fluidum in varices penetravisset, quum eos indurari non videret, in altero autem sanguinis coagulum strictis limitibus circumscriptum exstitit. Inde acadiae Parisinae consessu anno 1853 mensis Novembris die 29. habito *Leblanc* sua experimenta, in quibus ferri perchlorati injectionibus sibi efficere contigisset, ut sanguis in equi arteriis venisque coagularetur,

13) Deutsche Klinik 1853. Nr. 51. pag. 571 u. 572.

14) Archiv. général de Medic. Janvier 1854. pag. 97.

exposuit. Ex ejus observationibus evidenter apparet, hanc methodum non esse adhibendam, nisi iis in casibus, in quibus sanguis adhuc liquidus sit. Deinde solutionem, quam maxime fieri posset, debere neutralem esse, videndumque, ne plures puncturae altera juxta alteram fierent, plane ex illis experimentis patuit. Denique cognitum est, infiltrationem, quae materiae injectae in regionem arteriam venamve cingentem effusione efficiatur, evitandam pressumque fortiorum ad vas, dum operatio duret, exhibendum esse.

Anno 1853 mensis Decembris die 19. **Petrequin** académiae Parisinae commentationem de injectionibus coagulantibus cum methodo **Brasdorianæ** in aneyrismatum quorundam cura conjungendis misit. In qua casum<sup>15)</sup> refert, quo quum guttulas 8—9 ferri manganici trichlorati p. c. 30 in tumorem aneurysmaticum injecisset, hic admodum induratus fuerit.

Ceterum haec operatio tam nova est tamque paucis experimentis confirmata, ut certum de ea judicium hodie nondum facere possimus.

---

**Stromeyer** omnium primus virorum doctorum animos ad propriam quandam varicum classem advertit, qui portae aponeurotiae apertura relative nimis angusta, per quam vena cum altera inferius sub aponeurosi posita communicet, efficiantur. — Praecipue **Stromeyer** hanc rationem, quod ad arteriam cruralem attineret, in annulo crurali ope formationum recentium fibrinosarum coarctato repositam esse ostendit, atque exspectari posse censuit, fore, ut ligamento

15) ibidem v. 89.

**Gimbernati** vel **Pruparti** percisso tali malo occurrere licet. Quali in casu per se intelligitur quamque aliam curam praeter eam, qua aperturam illam dilatare studeamus, omnino successu caritaram esse.

**Herapath**<sup>16)</sup> in med. Tim. 1848 mensis Iulii casum enarrat, in quo, quum similis esset rei conditio, ipse, cura convenienti adhibita, eventum exoptatum sit adsecutus. Aegrotus juvenis erat annos 24 natus, qui jam per quinque annorum spatium venae saphenae varicibus laboravit, quorum varicum causa in coarctata processus falciformis fasciae latae porta aponeurotica erat reposita. Operatio a viro docto instituta in eo constitit, ut, postquam aegrotus in eam redactus est positionem, quae in operatione herniae cruralis est usitata, plica cutis, fasciae latae respondens, sublata ope cultelli dissecaretur. Quo modo proxime supra dilatatam venam saphenam magnam vulnus 3" longum effectum est, quod decursum obliquum ad partem superiorem internamque tenuit. Fascia superficialis, cuius eximia erat tenuitas, cum summa cura diligentiaque a processu falciformi est sejuncta. Quo facto, quum **Herapath** venam manus sinistram digito indice depressisset, sub partem processus falciformis supra venam positam cultrum acutum immisit, quo in fasciam incisionem dimidium pollicem longam instituit. Qua agendi ratione inita, strictura varixque exemplo sublata erant. Vulnus, postquam duabus suturis emplastroque adhaesivo applicitis occlusum est, per primam intentionem consanuit. Quae quum ita essent, operationis eventus haud dubie laetissimus fuit. **Malgaigne**<sup>17)</sup>, eandem methodum secutus, in

16) *Canstatt et Eisenmann. Jahresbericht für 1848. pag. 240.*

17) *Gaz des Hôp. 1850. Nr. 141.*

aegroto 26 annos nato, qui jam novem per annos varicibus magna que varicocele laboraverat, operationem peregit. Cujus eventus tam secundus faustusque erat, ut non solum varices omnino evanescerent, verum etiam varicocele aliquanto minor exsistet.

**Heuser**<sup>18)</sup> in ephemeridibus medicis Helveticis anni 1850 similem prodidit casum, in quo et ipso operationis hujus exitus admodum exoptatus fuerit.

Quamquam **Sedillot**<sup>19)</sup> huic operationis methodo adversarius est coortus, eam ob causas, quas non facile perspicias, tum periculosam tum irritam vanamque esse ratus, tamen eventus, quos in casibus modo commemoratis cognovimus, sane sufficiunt, ut nobis de contraria rei ratione persuadeamus. Qua causa adducti, non possumus, quin tale judicium proferamus, ut hanc operationis methodum, si quidem causa morbi jubeatur adhiberi, dignam esse existemus, quae a medicis rationem pro duce sequentibus omnibus ceteris longe praeoptetur. Namque quis est, qui neget, veram esse sententiam illam: sublata causa, tollitur et effectus?

**Dupuytren**<sup>20)</sup> testatur, si quando arteria ob aneurysma deligetur, saepe contingere, ut etiam varices in locis aneurysma cingentibus reperti sponte evanescant. At nihilosecius, quantum quidem mihi innotuit, arteriae deligatio ob venas varicosas ulceraque inde exorta hucusque non instituta est. Ac re vera hoc non putetur nisi quoddam refugium ultimum.

18) **Ravot et Vocke**, l. c. pag. 184.

19) **Sedillot**, l. c. I, pag. 293.

20) **Rokitansky**, l. c. pag. 664.

Ut venae parietes inflammatione adhaesiva coalescant eoque luminis venae oblitteratio fiat, haec duo nobis offeruntur auxilia: venae compressio et ligatura.

**Sanson**<sup>21)</sup>, qui ipse praesens secundissimos viderat eventus, quos **Breschet** volsella sua in varicocele usitata attulerat, quum eandem sanandi rationem etiam ad alia varicum genera adhibere vellet, eum in finem instrumentum quoddam excogitavit, quo venae ferme per unius pollicis spatium ita comprimerentur, ut parietes alter alterum attingerent. Quae est modificatio quaedam volsellae **Breschetianae**. — Instrumentum ex duobus constat brachiis metallicis, forma ovorum ad instar rotunda, corio obductis, 15" longis, 5" altis, inter quae vena, in cutis plica sursum sublata, prehenditur atque ope cochlearum duarum comprimitur. — **Sanson** semper hoc instrumentum super locum affectum applicat.

Modus, quo instrumentum admovetur, perquam est facilis, ususque ejus praecipue femori, ubi non nisi una vena varicosa extiterit, admodum accommodatus cernitur. — Ad crus autem quod attinet, tum multae, quae adsunt, anastomoses hujus auxili i vim atque efficaciam minuerint, tum cutis tensio atque exigua venarum mobilitas tanta objiciunt obstacula, quae vix videantur superari posse. **Sanson** instrumenti brachia in dies magis magisque comprimit et, quotiescumque signa animadvertisit, quae gangraenae cutis compressae periculum indicent, locum volsellae applicandae mutat.

Quum autem usu atque experientia compertum sit, ve-

21) **Schmidt's Jahrb.** 1837. pag. 206 et **Bulletin des Höp.** 1831 in **Frorip's Notizen**. Vol. II, pag. 19.

nam tum quoque occludi, quum sanguinis circulatio magnopere sit impedita, nequaquam omni in casu necessarium est, venas tam fortiter comprimi, ut parietes alter alterum contingant. Quae operationis methodus nec cruenta est, nec acrioribus stipata doloribus, nec ulla sequelas nocentes habere solet<sup>22)</sup>.

*Bonnet*<sup>23)</sup> tres casus enarrat, in quibus operationis hujus exitus laetissimus fuerit.

Hucusque de compressione simplici locuti sumus, cum nulla venae laesione conjuncta.

(*Bourgery* in opere suo praeclarissimo jam supra citato (Tab. XXXI. fig. I. No. 3) hanc operationis methodum imagine expressam proposuit.) Verumtamen compressionem etiam in usum convertere licet, vena prius ope incisionis nudata. Sanguine, qui vel totus vel ex parte coagulatus venam explet, amoto frustulum spongiae venae supponendum est; quo facto demum compressio fascia applicita exhibetur. Haec est methodus a *Delpach* prolata, secundum quam operatione in septem casibus suscepta, sexies aegrotum sanare contigit<sup>24)</sup>.

Ratio ea, qua vas sinuū comprimatur atque transfigatur, a multis chirurgis, veluti a *Davat*, *Franc* et *Velpeau*, est adhibita, qui quamquam certant inter se, cui operationis inventae meritum sit adscribendum, tamen, tempora si consulueris, *Davat* princeps ea methodo videtur usus esse<sup>25)</sup>.

22) Diction des Diction. 1. c. pag. 841.

23) *Bourgery*, 1. c. pag. 151.

24) *ibidem*.

25) *ibidem*.

Methodus, a *Davat* proposita, in eo constat, ut, postquam sanguinis circulatio, fascia firmiter applicata, inhibita est, duobus digitis vena saphena cum cute, eam obtegente, prehendatur. Inde acus per cutem sub venam est intromittenda, quo facto, plica cutis remissa, acus, capite deorsum converso, quam fieri potuerit proxime ad locum, quo infixa erat, extrudatur. Qua re postquam prima operationis pars ad finem adducta est, altera acus secundum diametrum longitudinalem venae ope laquei priori acui circumdati sursum elatae eum in modum infigitur, ut ejus apex cutem parietemque venae anteriorem posticumque penetret. Num autem acus eo usque devenerit, neene, hinc certo cognoscitur, quod, si pervenit, acum priorem contingit. Inde acus capitulo inclinato denuo apex per puncturam recentem in posteriorem venae parietem factam in venae lumen infertur atque per parietem anteriorem extra cutem protruditur. Quae acus jam quattuor locis venam penetrat eoque modo ejus parietes alterum alteri propius admovet, vasis lumen parte media totum, a lateribus ex parte tollens.

Deinde utrique acui sutura circumvoluta circumdatur. Experimenta prima, quibus *Davat* hanc methodum adhibuit, anno 1830 in canibus sunt suscepta. *Franc* anno 1834 eam methodum excogitavit, quam quidem hoc simplicissimo modo adhibuit, ut, acu transverse per venae lumen trajecta, sutura circumvoluta applicaretur, qua ratione horis duodequinquaginta perfectam venae obliterationem existere ait. Qua exorta acus removeri jubentur. Inflammationis symptomata in hac quoque operationis methodo exigua esse traduntur. *Chelius* hanc methodum, praesertim quod parum excitet doloris neque ullo conjuncta sit periculo, summis

laudibus effert. *Siegmund* Vindebonae suturae hujus fila sensim demum paulatimque arctius connectenda esse censem, quominus phebitis cum funestis ejus sequelis exoriatur, prohibiturus. Diebus quinque elapsis, postquam acus amotae sunt, parvum, quod illatum est, vulnus fistulosum brevi tempore consanescit.

*Velpeau* fila acui transversim per venam trajectae non in numeri 8 formam circumdedidit sed ab utroque acus fine series nonnullas circulares circumvolvit. In casibus 25, quibus vir doctus hanc operationem in usum vocavit, venae obliteratio intra dierum 14, 15 et 16 spatium exstitit<sup>26)</sup>. Praeterea venae delegatio ad varicum curam est commen-data, quae quidem aut vena denudata, aut via subcutanea in usum conversa fuit.

Qua methodo jam *Ev. Home*, *Travers*, *Physick* usi sunt, quibus adjicere liceat cl. *Béclard*, qui eam in Franco-gallia frequentissime instituit. Vena brevi ante locum, quo varicosa cernitur, spatio nudata artis lege delegatur. *Béclard* inde, ne phlebitis oriretur, metuens venam supra locum, quo delegata fuerat, comprimebat. Ut *Briquet* testatur<sup>27)</sup>, octo annis *Béclard* solum post tres operationes, secundum hanc methodum factas, aegrotos mortem occumbere vidit. Si autem *Bourgery* fides est attribuenda, ex aegrotis 60, quibus in nosocomio Pitie haec methodus fuit adhibita, solum 2 extinti sunt<sup>28)</sup>.

Irritationem vero, quae ligatura efficitur, ut quam ma-

26) ibidem.

27) Archiv. génér. de Medic. T. VII. 1825. pag. 408.

28) ibidem.

xime minueretur, *Wisse*<sup>29)</sup> auctor exstitit, ut ligatura tan-tum temporaria, nodo laxiore vincta, applicaretur.

*Bermond*<sup>30)</sup> intra trium mensium spatium quinques venam saphenam delegavit, idque ter ad internam genus partem, bis ad femur; quibus in casibus semper felicissimum nactus est eventum. Uno quidem in casu phlebitis ingruit, at ea tamen brevi contigit, ut sanaretur.

Via subcutanea eandem ligaturam, quam *Ricord* ad varicocelen curandam invenit, primus *Pitha* etiam varicibus extremitatum applicari praecepit<sup>31)</sup>.

Quae methodus praecipue cum cauterisatione conjuncta multum utilitatis attulisse dicitur.

Eadem Hamburgi atque Chilonii ter optimo cum successu in usum vocata est<sup>32)</sup>. Ipse *Pitha* duodevicies eam in extremitatum inferiorum varicibus tollendis secutus est, quibus quidem in casibus et dolores acerrimos, quos varicositati se comites adjungere constat, evanescere et ulcerarum consecutiva brevissimo tempore sanari vidit.

*Reynaud* tali ratione usus est, ut, filo tumori varicoso circumdato, fili fines supposito spongiae frustulo contrahens venam comprimeret. Professor illustrissimus *Adelmann* hac methodo adhibita, quamvis venae saphenae internae ectasis sublata esset, tamen phlebitidem, multum periculi inferentem, subsequi vidit. Quam operationem *Vidal* eatenus tan-

29) *Bourgery*, I. c. pag. 152.

30) *Canstatt's Jahresbericht* 1842. pag. 224.

31) ibidem. 1847. pag. 200.

32) *Grävell*, I. c. 1848. pag. 534.

tum commutavit, quod pro filo lineo ad deligationem faciendum filo metallico usus est<sup>33)</sup>.

Vasis compressio ut fieret, etiam cauterisationem esse adhibitam, jam supra admonuimus. Ceterum inter diversas cauterisationis methodos ferri carentis usus jam antiquissimis temporibus percrebruerat.

*Celsus* operationem eum in modum suscipere solebat, ut varicem denudatum ferro carenti adureret, vulneris marginibus, ne laederentur, uncorum ope distentis.

*Aricenna*, postquam venam nudavit, duobus locis ligaturam applicuit parteque media inde excisa totum vulnus ferro carenti cauterisavit.

Haec methodus tamen, utpote quae et multum efficiat cruciatuum et periculo non careat, quoniam, eschara detrusa, facile accidit, ut letalis sanguinis profusio ingruat, hac nostra aetate prorsus oblivioni data est.

*Vidal*<sup>34)</sup> cauterisationem primus denuo in usum artis medicae introduxit, quo eodem tempore et *Bonnet*, idque anno 1830, eam methodum recoluit. Quorum uterque kali caustico utebatur.

Re vera omnium primus *Gensoul* Lugduni ulcera varicosa rursus kali caustico tractare coepit, cuius exemplum inde *Bonnet*<sup>35)</sup> secutus methodi ejus usum pervulgavit. Qui kali causticum in varicibus eo usque adhibuit, quoad vase affecto, sanguinis profluvi exsisteret, quod pressando

inhibere studuit. Haec ratio, quemadmodum ipse vir doctus aperte profitetur, quamquam in hominibus aetate nondum proiecta in universum optimum praebuit successum, tamen in senibus cum eventu minus prospero fuit adhibita<sup>36)</sup>,

*Laugier*, postquam supra venam incisionem in cutem instituit, pro kali caustico pasta Viennensi uti maluit.

Quam eandem methodum professor *Bérard*<sup>37)</sup> Parisiis amplexus est, in incisione tamen, quam ille cauterisationi praemiserat, omissa. Hic vir clarissimus, postquam aegrotum multum ambulare jussit eo consilio, ut vena intumesceret, inde ejus decursum accurate aut atramento aut lapide infernali definiit, quo facto die sequenti pastam Viennensem, 3—5 centim. longam, 5—10 centim. latam eademque crassitie praeditam locis designatis imposuit. Quam pastam, ut ad omnes telas usque ad venae parietes simul effectum exhibere posset, per sexagesimas 15—20 ibidem reliquit. Jam pasta Viennensi demota, locus affectus, postquam aqua acidula pure lavatus est, tantummodo iis in cassibus obligatur, in quibus periculum est, ne sanguinis profluvi exoriatur. Ceterum *Bérard* aegrotos solummodo per dies 4—5 situm horizontalem tenere jubet. Eschara, nulla suppuratione graviore orta, detruditur. In iis hominibus, qui cute essent sicca corporeque non ita obeso, *Bérard* suppurationem nullam exsistere vidit. Hac ratione sanguis in venis circulatione interrupta coagulatur substantiae jactura, quae vasi illata est, periculum, ne morbus recidivus ingruat, avertit. Ex aegrotis 300, in quibus ope-

33) *Vidal*, l. c. II, pag. 46.

34) l. c. pag. 48.

35) *Bourgery*, l. c. pag. 153.

36) ibidem pag. 154.

37) *Annales de Chirurgie de Paris* 1842, pag. 222.

ratio secundum hanc methodum facta est, solum duo pyæmia correpti decesserunt.

*Jobert*<sup>38)</sup> unum modo memoriae prodidit casum, in quo, tumorem varicosum genus, qui ejusdem atque pugnus magnitudinis erat, oppugnaturus felicissimo cum eventu pastam Viennensem, 4 millimetra crassam, effectu ejus per quinque sexagesimas continuato, in usum converterit.

Cetera remedia caustica, quae nobis in promptu sunt, uti acida concentrata etc., rarius sunt adhibita, quorum quidem, quum non tam vehementi excellant effectu, non videatur usus esse, nisi in varicibus minoribus. (*Froriep.*)

Adversa, quae cauterisationem sequi solent, symptomata praecauturus, *Skey*<sup>39)</sup> (Lond. med. Gaz. Aug. 1846), hanc methodum paululum mutavit, eoque modo in casibus non nullis, in quibus varices inveterati jam compluries nequidquam tractati fuerant, perfectam sanationem efficere ei contigit. Qui vir celeerrimus, quam fieri potuerit, plurima, sed ea tamen exigua loca (plerumque loca 6—7, quorum singula diametro sint 3—4 linearum) per vasis dilatati decursum cauterisari praecipit, eum in finem pasta Viennensi, quam emplastro circumdederat, adhibita. Qua inde, postquam per horam dimidiā vim suam exhibuit, amota, fascia glomerata est applicata. — Inde, diebus 8—10 elapsis, quum eschara decidisset, loca saucia brevissimo temporis spatio sanari vidit. Ceterum, uti *Nelaton*<sup>40)</sup> judicat, hic successus non est nisi mediocris.

Ad ulcera quoque varicosa sananda remedia caustica

38) *Gaz. des Hôp.* 1846. pag. 78. 91.

39) *Canstatt's Jahresbericht für 1846.* Vol. II, pag. 199.

40) *Éléments de Pathol. chirurg.* Paris 1844. pag. 532.

in usum vocantur. Sic *Majo* in nosocomio Londinensi Middle-Essex-Spital dicto<sup>41)</sup> a pasta Viennensi ex duabus partibus saponis et una parte kali caustici composita, quam pisi magnitudine praeditam 1" supra ulcerum applicuit, auxilium petivit. In casibus duobus, in quibus hoc remedium usurpavit, sanatio perfecta successit.

*Marchal* ad eundem finem consequendum pastam Viennensem adhibuit, qua infra ulcerum posita eschara, soleae ferreae formam referens, efformata est<sup>42)</sup>.

Judice *Hugier*, (cf. de la valeur des divers modes de traitement proposés contre les varices) cauterisatio non solum accommodatissima atque aptissima, verum etiam omnino est necessaria in iis casibus, in quibus, praegressa tumoris varicosi extirpatione, partes nonnullae morbidac fuerint relictæ. — Tum enim cauterisationem suscipiendam esse censet, ut hae partes destruantur, atque inflammationem etiam earum venarum provocari jubet, quae amoveri non potuerint.

---

Ad inflammationem in vasis lumine efficiendam jam longō abhinc tempore etiam venarum incisio adhibita fuit.

Incisio, quae eadem et kirsotomia appellatur, vocabulo hoc ex verbis *κιρσός* et *τέμνειν* composito, jam ab *Albucasis* et *Aricenna* in usum vocabatur. Qui, sanguinis circulatione in vena varicosa inhibita, quum eam pluribus locis aperruissent, longum per tempus sanguinis profluvium non sistebant.

Quan operationem dupli modo instituunt, aut venam

41) v. *Froriep's Notizen.* Vol. XLI, pag. 333.

42) *Gaz. med. de Paris.* Mai 30. 1843.

primum denudando aut una incisione et cutem et venam dissecando. *Vulnus*, postquam ea, quae venae inerant, amota sunt, linteis carptis impletur atque quam simplicissimo modo obligatur.

Haec ratio quum diu oblivione esset obruta, *Richerand* incisionem pollicum 4—8 per venae longitudinem institui suasit, ipsum se in pluribus aegrotis hanc operationem in nosocomio St. Ludovici cum laetissimo eventu exsecutum esse adjiciens<sup>43)</sup>. Postea chirurgi complures, uti *Brodie*, *Béclard* et *Velpeau*, illius methodum secuti, quum eam in varicibus non omnino parvis cum summo tantum periculo institui posse vidissent, auctore *Sedillot*<sup>44)</sup>, operationis hujus usum omittendum esse existimaverunt. Namque, etsi inde discesseris, quod sanguinis profusio sic exorta non ita facile sedari potuerit, etiam hoc incommodo ista methodus laborat, quod persaepe phlebitidem atque vehementissimam phlegmonen provocat.

Itaque tantummodo varices inveterati, voluminosi, latissime pertinentes, quique multos excitent dolores, praesertim si sanguine coagulato impleti fuerint, eam videntur afferre conditionem, quae nos perpellat, ut ad hanc operationem confugiamus. Tali enim in casu quis dubitaverit, compressionem dolores intolerandos atque inflammationem et cutis exulcerationem esse effecturam? *Velpeau*, antiquorum exemplum imitatus, venam transverse et quidem compluribus locis dissecuit, qua ratione quum in nosocomiis Hop. St. Antoine et Petie appellatis tricies septies usus esset, semel tantummodo aegrotus mortem obisse dicitur.

43) Arch. gén. de med. Nov. 1828.

44) I. c. pag. 295.

*Brodie*, ne phlebitis tam periculosa atque funesta oriatur, metuens, cuius originem quidem ex aëris atmosphaericu ad venam nudatam effectu atque vi repetendam esse duxit, anno 1817 venae incisionem suscutaneam institui praecepit. Quam incisionem tali modo faciebat, ut cultellum tenuem atque acutum, et paululum concavum eo loco, quo venam dissecurus erat, planum sub cutem immitteret, donec ejus apex, cutem tamen non ponetrans, ad alteram venae partem esset promotus. Quo facto, quum manubrium cultelli ita convertisset, ut acies ejus venam versus posita esset, instrumentum, quasi venam eo, quo culter introductus erat, loco extrahere vellet, ad runcinantis similitudinem huc illuc movebat. Quo modo quum vena perfecte percissa esset, tumor extemplo hoc loco exortus sanguinem, e venae lumine egressum superne in telam cellulosam effusum esse, indicio erat. — In cultro removendo aliquot sanguinis guttulae emanabant. Inde, ut aëris atmosphaericu in venae lumen introitus quam maxime impediretur, statim locus, quo culter infixus erat, compressa obtectus obligabatur. Sic, vena vulnerata, reactio traumatica provocatur eoque, quo partium continitas disjuncta est, loco inflammatio evolvitur, vulnerisque facies, uti fieri solet, coalitae cicatrice obducuntur. Cicatricis contractio, venam contrahendo, varicositatem deminuit.

Ceterum, quemadmodum ex observationibus a *Béclard* institutis plane elucet, haec methodus neque semper ad venam claudendam valet, neque aegrotum a phlebitide aut phlegmone tutum reddit. — E contrario *Brodie*, multis sic operationes exsecutus, nunquam se phlebitidem phlegmo-

nenque observasse ait nec nisi perpaucis in casibus venam parum conclusam fuisse contendit.

Excisio particulae vasis varicosi jam a *Celso* suscepta est; cui operationi, si quidem venae varicosae permagnae erant ingentisque ambitus, ille etiam cauterisationem conjungebat. — Hujusmodi operatio in Mario facta est<sup>45)</sup>; qui quidem quum in uno crure institutam sustinuisse, eandem in altero fieri vetuit, jure ac merito remedium ipso morbo pejus esse dictitans. Tempore recentissimo haec operatio a *Boyer* et *Lisfranc* peracta fuit, qui aut venas ex cute eas obtegente exciderunt, aut, si forte cutis justo firmius cum venis concreverat, ut, si illa relinqueretur, periculum instaret, ne gangraena corriperetur, duabus incisionibus ellipticis venas cum cute abstulerunt. Utriusque operationis eventus prosperrimi dicuntur fuisse. — Venarum fines recedendo, ne aer atmosphaericus intret, impediunt, gravissimam phlebitidis causam, secundum sententiam cl. *Lisfranc* et *Brodie*, sic amoventes.

*Rima*<sup>46)</sup>, qui venae deligationem periculosam esse arbitratur ideoque istam rejicit, hanc operationem, in casibus 34 exsecutus, semper optimo successu fuisse narrat. Idem venae particula, 10—11" aequante, excisa extremitatis compressionem institui jubet. Anno hujus saeculi duodequinquagesimo illa operationis methodus in nosocomio St. Jacobi, quod Lipsiae est, frequentissime fuit adhibita. Undecies enim in hoc nosocomio venae varicosae particula

45) Cic. Quaest. Tusc. II. Cap. 15, § 35.

46) Dict. des Diction. de med. Paris 1850. T. VIII, pag. 844.

1—1½" longa, quae antea denudata fuerat, nullis, quae periculum moverent, symptomatibus observatis, excisa est. Eundem operationis exitum *Günther* illo ipso anno Hamburgi et Chilonii amplius tricies adeptus est. Excisione finita, semper compressio fasciis glomeratis glutino obductis exhibita in usum vocata est<sup>47)</sup>.

Quam eandem operationem *Sedillot* in vena varicosa parva, quae sex centim. supra calcem super tendinem Achilleum posita aegroto intolerabilem pruritum ciebat, cum exoptato eventu instituit. Omnino *Sedillot* se excisionem in vasorum glomeribus admodum circumscriptis felicissime executum esse affirmat.

Phlebitis, cujus tanto omnes timore tenebantur, ne existeret, *Fricke* in annalium suorum volumine secundo particulam excidendam nunquam e venae parte affecta, sed semper ex sana atque integra auferri jussit.

Ceterum excisio, quae et simpliciter ope forficiis institui potest, si quando venae glomeris ad instar supra aliquam corporis partem maxime prominente, in tumoribus varicosis solitariis plurimum assert auxili.

Sub fine dissertationis paucis de iis, quae attulimus, remediis disserere liceat.

Auctore *Vidal*<sup>48)</sup>, quamcunque operationem venis varicosis adhibueris, morbus recidivus evitari omnino nequit. Cujus rei has profert causas: 1) quod, cicatrice resorpta, venae lumen pristinum restituatur, 2) quod sanguinis coagu-

47) Dr. Grävell, l. c. 1848. pag. 54.

48) l. c. pag. 50.

lum formatum resorbeatur, 3) quod anastomoses adsint cum venis superficialibus profundiusque sitis, praesertim si prope locum, quo operatio facta fuerit, positae sint, 4) quod rami laterales exstant, qui ante operationem vix conspici queant.

Testante **Sedillot**<sup>49)</sup> varices, etiamsi in aliquod tempus evanuerint, tamen, compluribus circumactis mensibus, re currunt.

Sequelae, quas saepe statim post operationem finitam in conspectum venire cernimus, praesertim phlebitis, inter dum adeo hebdomadibus 3—4, postquam vulnus operatione illatum cicatrice obduci coeptum est, prodire solent. **Ravoth** et **Vocke**<sup>50)</sup> tum phlebitidem crebro exiguis in diaeta excessibus, refrigerio causisque similibus provocari affirmant.

Ex operationis methodis supra descriptis nonnullae pluribus jam in casibus usu probatae sunt, nonnullae casuum, quibus adhibitae sunt, frequentia ceteris praestant. Verum, si quaesierit quispiam, cuinam potissimum palma sit deferenda, ad eam quaestionem tum demum certum poterimus dare responsum, quum census statistici, quos consulamus, collecti fuerint. In singulis vero, qui tibi offerantur, casibus tum solum, quum rerum conditionem, quae adest, certo cognitam habueris, judicium fieri possit.

In universum tamen, quemadmodum jam in illa disser tationis parte, ubi de prognosi disseruimus, dictum est, operationem censemus non esse suscipiendam, nisi iis in casibus, in quibus aliqua affulgeat spes, fore, ut malum ra

dicitus tollatur. Itaque, uti in leviori varicositate quam pri mum aliquam ex curis palliativis instituendam esse censemus, quarum exemplo sit compressio ope fasciae glutino oblita exhibita, ita cauterisationem, suturam, ligaturam omninoque omnes operationes cruentas casibus morbi gravioribus aptiores esse arbitramur. Ex quibus tamen quaenam adhibenda sit operatio, id a diligenti casuum singulorum dijudicatione pendet.

## Theses.

- 1) *Urethroblennorrhoeae ope cauterisationis cura est rejicienda.*
- 2) *Dentitio difficilis non est morbus.*
- 3) *Sunt remedia specifica.*
- 4) *Inter curare et mederi maximum est discrimen.*
- 5) *Varices remediis internis sanari non possunt.*
- 6) *Cancer solummodo e causa universalis originem dicit.*

49) l. c. pag. 297.

50) l. c. pag. 188.